

Iohannes Bernardi, momasterii Sancti Clementis de Casauria monachus  
*Chronicon Casauriense*

Edizione:

L. A. Muratori, *Rerum Italicarum Scriptores*, 1726, II 2, pp.776-916

**LIBER PRIMUS**

Ante conditionem Monasterii Piscariensis invenitur Ludovicus Imperator per diversas Italiae Provincias adquisiisse possessiones plurimas, eo animo, et affectu, sicut postea claruit, ut cum aptum locum inveniret, in quo Monasterium construeret, eas ibidem omnipotenti Deo largitori omnium bonorum offerret. Voluntatis enim eius erat, et voti, aedificare domum Domino Deo; et ideo ex quo coepit Italiam frequentare, omni sollicitudine studebat praedia, et possessiones acquirere, donec ei superna provisio aptissimum Monasticae Religionis locum ostenderet. Praedia vero, et possessiones quas acquirebat, pretio vel aliis iustis modis eas acquirebat, ut iusto, ac legalis ordine de ipsis Deum sibi saceret heredem. Sane qualiter idem gloriosus Imperator, de genere Karoli Magni et Pipini Regis Francorum, ex patre Lothario natus, in mirabilibus bellis necnon magnificis actibus in Romanum Imperium sublimatus essulsit, dicendum est; ad gloriam enim dignitatis, et honoris Monasterii Piscariensis pertinet, Ludovicum istum scire quis fuerit.

Ecclesia Romana cum multis adversitatibus, et sicut in Ecclesiasticis Historiis, et Romanorum Pontificum gestis reperitur, et legitur, ab Aistulfo Longobardorum Rege tota paene Italia vastaretur: Stephanus Papa, qui, ut habetur in Chronicis, septingentesimo quinquagesimo secundo Dominicae Incarnationis Pontificari coepit, vocavit Pipinum Sranorum Regem Karoli filium, eiusdem auxilio Aistulfum expulit, Ravennam liberavit, et viginti civitates, quas idem Aistulfus abstulerat, sub iure Beati Petri redegit; und a Romanis Patritius effici meruit. Quo defuncto, filius eius Karolus ommnium generali consensu Francorum omnem Monarchiam Regni gubernandam suscepit. Qui Karolus Pipini filius ab Adriano I. Papa vocatus ad defendendas res Ecclesiae obedit Longobardos in Papiam, ibique relicto exercito; in Sancta Resurrectionem ab Adriano Papa Romae honorifice susceptum est. Post Sanctam vero Resurrectionem reversus Papiam, cepit Desiderium regem, et Uxorem eius, et secum portavit in Franciam; et inde rediens Romam, constituit ibi Synodum cum supradicto Papa in Parriarchio Lateranensi, in Ecclesia Sancti Salvatoris; quae Synodus celebrata est a centum quinquaginta tribus Episcopis Religiosis, et Abbatibus, et restituit Beato Petro quae pater eius dederat, et Desiderius abstulerat; addens etiam Ducatum Spoletanum, et Beneventanum. In cuius temporibus Leo Papa Romanus ab ipsis Romanis coecatus, cum eius lingua truncaretur, ei Dominus et linguam, et visum reddidit. Qui pergens ad eundem Karolum, secum adduxit, et facta vindicta de inimicis, ipsum Karolum Imperiali diademate coronavit.

Per idem igitur tempus Karolus Imperator Regni iura feliciter moderans Ludovicum filium Caesarem constituit, quia ipse solus superstes remansit, cui nomen, et regni potentiam Augusti secum habere constituit. Regnavit autem gloriosus Rex Karolus annis quadraginta septem; post susceptum Romanum Imperium annis quatuordecim, qui intra ipsos concluduntur. Vixit autem annis septuaginta, et apud Aquasgrani febre correptus obiit quinto Kalendas Februarii anno ab incarnatione Domini DCCCXIV. Cui successit filius eius supradictus in Regno Francorum, et Imperio Romanorum. Qui Lotharium primogenitum suum diademate coronatum Regem et Augustum secum constituit. Defunctus est autem anno ab Incarnatione Domini DCCCXLI. anno vitae suae sexagesimo quarto praefuit quidem Aquitaniae per annos triginta septem, Imperator autem viginti septem. Mortuo autem Ludovico Augusto, qui ob merita clementiae Ludovicus Pius cognomen accepit, Lotharius eius filius Regni et Imperii haeres effectus est. Lothario quoque imperante, primogenitus eius filius Ludovicus nomine regnavit Italiae, quem Sergius Papa in Imperatorem Augustum coronavit. Iste siquidem Ludovicus fuit Sanctus, et incomparabilis vir, bellorum studiis eruditus; qui paterno more Italiam saepissime visitabat in his, quae Beato Petro erant necessaria, seque suosque, ut boni patris bonus filius praeparabat. Hic cum audiret Calabros, et Apulos velle repugnare Romanis, exercitum copiosum aggregavit, Alpes transcendit et ad Piscariam veniens Insulam delectabilem, cui nomen est Casa-Aurea, undique aquis cinctam invenit.

Ludovicus igitur Divina inspiratione tactus cum supradictam Insulam circumspexisset, et ex omni considerasset parte, ac usibus servorum Dei profuturam cognosceret: cuius esset, et sub cuius potestate devotissime requisivit. Qui cum eam sub potestate cuiusdam Sisenandi Illustrissimi viri esse, et de iure Sinnensis Episcopii descendere comperisset, prius a dominio eiusdem Sisenandi absolvit tribuens inde sibi decem libras argenti, et cum Episcopo Grimbaldo nomine, qui eo tempore Pinnensem regebat Ecclesiam, cambitionem fecit, totamque insulam sub iure regio retinens, quod magis valebat, et prope Episcopium Pinnense erat, pro eadem insula dedit et resibus idoneis, et scripto ipsam donationem confirmavit. Grimbaldu

vero Episcopus ne aliqua controversia a Successoribus suis inde oriretur ex parte sua scriptum fecit, et testibus idoneis corroboravit, et Sisenandus similiter, sicut in Instrumentis libri sequentis describitur.

Quae scripta in Ecclesia Beati Clementis usque hodie conservata, ipsam insulam cum suis pertinentiis habitatoribus loci quietam reddunt .

Ludovicus itaque, sicut supra diximus, divina inspiratione praemonitus, cum videret insulam omnibus bonis refertam, et quasi verum paradisum omnibus optimis fructibus redundantem, ipsam Deo omnium conditori, postquam liberam habuit, consecravat: et in ea Monasterium in honore Sanctae, et individuae Trinitatis aedificari praecepit, credens sine dubio suae pro hoc animae redemptionem, Imperiique sui continuatam protectionem, et adversariorum suorum efficacem contritionem, divinae sibi respectu misericordiae praeparari. Erat autem in eadem insula quaedam Ecclesiola in honorem Beati Martyris Quirici ab antiquo aedificata, penes quam iussit Ecclesiam de qua loquimur aedificari, aptam videlicet Monasticis usibus, et congruentem: quatenus coadunato illic sub regulari norma Religiosorum virorum coetu, altissimo Deo laudes, iugiter inibi votaue resultent.

Iactis igitur fundamentis, et collocata ibi non paucorum artificum multitudine, expensisque omnibus sufficienter praeparatis, Imperator Ludovicus cum exercitus suo Beneventum perrexit, ibique infidelem Theobertum, eiusque complices, qui a facie eius fugerant, prostravit, eorumque bona facta solemni donatione Piscariensi Ecclesiae, quam noviter aedificari praeceperat, concessit, tribuit, confirmavit. Praeparatis igitur his, de omnibus ad praesens sumus locuti, et armatis exercitibus suis, impatiens morae tendit in Apuliam, et Tarentum obsidens, quae proditorum nutrix, et eorum, qui contra patrum suam iuraverant latibulum fovens insanibat, tamdiu pugnavit ibi donec, quosdam ex eis Romanis subiceret, alios detruncaret, alios vero nudatos armis a finibus illis exire compelleret. Inde petens Brundisium, Calabros, ac Siculos eodem et simili exitio devastavit, Romanoque Imperio subiugavit, Urbes possedit, Romaque reversus Imperiali laurea pro triumpho a Domino Papa Adriano, et omni populo, et Senatu Romano in Capitolio est coronatus. Tantam ei gratiam Deus contulit, ut universa terra eius se subditam Imperio congauderet, et de reparatione novae pacis omnis tribus, et lingua omnipotenti Deo gratias redderet. Ille vero quamquam in suo limitate imperiali se positum esse consideraret, non tamen humilitatem quam erga suum conditorem habere solitus erat, deseruit, sed humilior ex sublimitate, et subiectior fuit. Erat ei in animo assidua, et frequens cogitatio circa constructionem quam in insula Piscariae fieri praeceperat, quatenus eam ad finem usque felicem perduceret: et tales ibi collocaret, qui pro se, et pro statu Imperii Romani Deo supplicarent, qui regulariter viverent, quorum conversatio in Coelis esset, quorum preces, et pro vivi et pro defunctis Deus clementer audiret. Cogitabat etiam clementissimus Imperator de rectore, et conservatore Ecclesiae, qui post eius discesium ante Deum pro servientibus inibi mitissimus appareret: qui hostes ipsius loci et malefactores expelleret, benefactores vero ad maiora, et utiliora sibi provocaret, et mercedem suorum operum indulgentiam peccatorum Deo consequeretur, et eis praestaret. Haec eo iugiter cogitante, iussit convocari Archiepiscopos, Episcopos, et Nobiles Consiliaros suos: et habito cum eis consilio in haec verba prior ipse prorupit: *Viri bellatores, quos mater sapientiae, et totius scientiae inventrix Gallia enutrivit, qui adversarios Dei Saracenos fortissima dextra epulistis, quorum virtutem ultima sub sole terra cognovit, quid consilium mihi datis? Credo quia vos mecum cogitatis, quomodo nova Ecclesia, quam construere iussit, honoribus amplificetur reliquiis Sanctorum Martyrum muniatur, et talem habeat protectorem, qui pro Christo mortem sumpserit, et stolam suam in sanguine laverit agni.* Et dum ad haec singuli titubarent, nescientes quid responderent ei: accessit quidam veteranus Antistes studiosus valde in Sanctis Scripturis, et Sanctorum Martyrum, plenarie gesta cognoscens, clara voce dixit Imperatori: *Imperator Auguste, cui Deus tantam contulit gratiam, ut quae ipso in coelis predestinat per te opertur in terris: consilium quod requiris, ab homine tibi non potest dari. Immo ipse Deus, cuius nutu insulam elegisti quae revera alter paradisi potest dici, ipse talem tibi elegit protectorem, qui in aquis vitam pro Christo fuderit, si tua Celsitudo ad hunc perquirendum voluerit inclinari.* Cui Imperator De quo , *Pater scienissime, loqueris? De Clemente,* respondit senex ille, *qui successor extitit Petri Apostoli, qui huic Romanae praesidens Ecclesiae Apostolum totius Galliae Dionysium delegavit qui noviter repertus, et ad hanc urbem per quemdam philosophum nomine Constantinum delatus, tua a Deo predestinatus est custos Ecclesiae: ut qui in aquis pro Deo spiritu; exalavit, demersos in aquis Piscariensibus ne pereant liberare possit.* Ad haec Ludovicus tanquam a Deo visitatus quae senex dixerat mente concepit, et Sanctum Clementem ante suos oculos ponens omnes Cardinales praecepit convocari. Et cum singulis habens colloquium, sciscitatus de Beato Clemente quo erat quomodo repertus fuerat, orans ut suarum precum forent apud Dominum exauditores, et apud Dominam Papam fidelissimi intercessores. Cui eum singuli super interrogatis unam responderent sententiam, et in precatu regio suam fidelissimam promitterent opem: accersitis Primatibus suis, cum Archiepiscopis et Princibus totius Urbis accessit ad Papam; Adrianus quidem secundus Papa ille vocabatur, qui Beatum Clementem suscepit a Philolosopho, et eundem Clementem postea dedit Regi Ludovico. Quem Dominum Adrianum tali voce Imperator alloquitur: “si rectum est filios hoc requirere, quod eorum patres promeruerunt, ego paternis hoc addo meritis quod meis addere meritis parentis minime potuerunt. Parentes mei Romanis necessitatibus succurrere parati fuerunt, et sua Regna relinquentes semetipsos, et suos exercitus ad excidium propter vos posuerunt. Ego autem cum audirem rebelles nostros contra vos insurgere, non vocatus, sed spontanea mea voluntate veni, vestrosque inimicos cum Dei adiutorio sub pedibus vestris posui, totamque terram, quae a Barbaris vallabatur, quietam vestris restitui. Si quid promeruerunt parentes mei, si quid et ego ipse talibus in obsequiis, quaero, supplico, rogo, obtestor, quatenus in praesentiarum readdatis mihi. Non quaero dilationem, volo in praesenti remunerationem, non aurum, non argentum, non

castella, non civitates, sed illum qui propter Dominum in marinos demersus est gurgites. Ut mihi Deus clemens efficiatur, Clementem requiro, non alium nisi illum, qui fuit secundus a Petro. Ille in aquis demersus extitit, ego vero illum in medio aquarum locare desidero, ut summersos in aquis iuvet precatu sanctissimo. Ne confundas quaeso, Pater sanctissime, faciem meam. Reduc ad memoriam quae sustinuerunt parentes mei, et in his, quae postulo, efficacem praebens audientiam, da mihi quae postulo, Clementem propter Dei clementiam, ut Clemens ipse postulet velocem indulgentiam”. His Adrianus respondit: *Imperator Auguste, quera tu postulas non est possibile me dare tibi, sed in voluntate est tam Cleri, quam populi, quibus nolentibus aliquid pretiosum non possum prabere alicui. Verumtamen si eorum rogatus tibi faverit, his qua postulas mea voluntas deesse non poterit.* Quibus Imperator auditis, conversus ad Clerum et populum ait. *Quid super his quae postulo, Sanctissimi Patres et Orbis domini, visum est vobis? Si maiora postularem in mea erat fiducia quod facilissime impetrare deberem. Nunc vera minima postulo, quae mihi non petenti a vobis offerri deberem ultro.* Ad haec Cardinales: *Non hoc inquit, Domine Imperator, debes postulare: immo si tibi non postulatum accipere, et acceptum ubicumque volueris ponere. Tu es enim Orbis terrarum Dominus, et Romana Ecclesiae filius per te crevit, et crescet, Deo volente, nostrum et Ecclesiae decus. Accipe quod postulas quia in hoc favemus tibi et totus populus.* Audiens haec Papa Adrianus cuius erat ad perficiendam Imperatoris petitionem promptus animus, respondit Clero, et in responsione respondit populo. “Licet agnoscam Dominum Imperatorem Ludovicum maiora promeruisse, non tamen volui eius petitionibus assensum praebere, donec audirem ex vestro ore quid super his, quae postulabat, iudicaretis. Quia ergo vobis placet, quod postulata accipiat, ne confundere videar faciem eius, quem honorare decrevi, dono sibi et concedo Corpus Beati Clementis et Praesulis, qui iussu Traiani Imperatoris in mare demersus fuit, et nobis, volente Deo, redditus. Insuper et addo reliquias Apostolorum Petri et Pauli, ut in omnibus laetificetur mens Imperatoris, et habeat bonum animum erga filios pacis”. His auditis Imperator Augustus prodidit ad genua Papae ipse et procerum suorum coetus et lachrymis effusis exultat in his laudibus: “gratias tibi reddo Imperator coelestis, cui ego potentia teneo regnum in terris. Tu Domine adimplevisti desiderium meum, da mihi quod possim videre Sanctum tuum, et in tali loco ponere, ubi honorificetur nocte dieque per nomen unigeniti Filii tui Domini Nostri Iesu Christi, cum quo et cum Spiritu Sancto vivis et regnas in saecula saeculorum. Et cum omnes dixissent. *Amen,* iussu Beatissimi Papae Adriani allatum est Corpus Clementis Martyris Gloriosissimi, et traditum Ludovico Imperatori, qui frangens illico vas in quo erat positum, traxit singulatim omnia ossa eius; et ne aliquid deesset diligenter aspiciens, involvit totum corpus in pretioso palio. Deinde posuit in vasculo pretioso, quod ipse Rex secum habebat, factum de alabastro; ibique celebravit excubias, et solemnes vigiliis per aliquot dies. In quo tempore tractavit cum Petro Consule et Duce Urbis Romanae de possessione et Capella Sancti Blasii infra eandem urbem aedificata, et una carte in loco et fundo Tusciano, quam noviter a praefato Petro Imperator emerat: datis inde sibi, cum esset Salerni, per Hermenulfum Comitem et Missum suum octingentis libris argenti, et de aliis multis rebus cum Domino Papa, et cum Cardinalibus et Senatoribus, et cum tota Romana plebe.

Perfectis igitur illis, quae in Romana civitate decreverat facere, levaverunt Corpus Sancti Martyris, et cum Hymnis et Canticis spiritualibus Domino Apostolico praeunte exierunt ab Urbe, psallentes et gaudentes, et pro tanto thesauro sibi coelitus collato gratias agentes omnium conditori. Huius facti fama egregia est in universo Orbe Romano, et tanta convenit hominum multitudo, ut arenae Maris posset aequari: laudantes et magnificantes virtutem Imperatoris Ludovici, videntes in eo gratiam esse Dei. Cum autem venissent ad insulam Piscariae, quae validis aquis cingitur undique, in ea parte, qua erat pons regalis, constitit omnis multitudo iussu Imperatoris. Et illis stantibus, Ludovicus ait: *Sicut credimus, nos portamus ossa Beati Clementis, quae tumulare desideramus in loco, quem cernitis. Verumtamen ad hoc agendum habemus opus auxilio nostri Redemptoris. Rogemus ergo eum, qui omnia potest, ut demonstret nobis hodie in vestra praeentia, si hic veraciter ille Clemens est, qui in profundo maris precipitatus invenit templum marmoreum Angelicis manibus sibi praeparatum; iter prabens populo terrae in annuis festivitibus suis, ut videntes enarrent mirabilia Dei. Sihic est, de quo non diffidimus, ostendat nobis Deus tali conditione, ut multus ipse qui portat eum, incedat per medios fluctus sicco vestigo, et dirigatur non homine duce, ad illum locum, in quo loco honorifice eum sepelire decrevimus praestante Domino Nostro Iesu Christo.* His dictis multos aquas ingreditur valde profundissimos, quae impetu vasto currentes marinas repraesentabant undas, et super ipsas ambulans sicco vestigio longo tractu uno fere stadio intravit insulam, et ubi constitit, ubi Dominus perordinaverat Sancti Martyris glebam. Quod videntes populi omnes, una voce laudaverunt Omnipotentiam Dei, qui praesens est omnibus invocantibus se in veritate, qui tam mirifice declaraverat merita Sancti Martyris sui. Erant ibi quamplures diversi infirmatibus laborantes, qui audito adventu Martyris gloriosi fecerant se asportari de civitatibus et habitaculis suis, habentes in Deo fiduciam, qui per sanctos suos operatur mirabilia magna nimis. Hi revoluti corpore Sancti Clementis, cum eius ossa nuda teneret sacratissima manus Imperatoris tantus odor egressus est de ossibus suis, ut visum esset illis, qui aderant, quod essent in paradiso Dei. Ex quo odore ubi fuerunt tacti languentes, quos supra diximus, et multi paralytici, illico sunt redditi sanitati. O quantus luctus prae gaudio, et quantus clamor sublatus est in excelso; cum viderent illos sanos, quos moribundos attulerant, videre, qui nihil antea videbant, audire, qui surdi multo tempore fuerant! His exhilaratus Dominus Imperator, praecipit Clerum ornari vestibibus sacris, et populum intendere orationibus sanctis, et ipse cum Archiepiscopis, et Episcopis involverunt membra Sancti Clementis, et Reliquias Apostolorum Petri et Pauli in medietate pallii, quia alia medietas reservata est ad posteros in memoriam huius translationis et recondi fecit eum in supradicto alabastro, et in ipso die

translationis locari in altaris medio anno Dominicæ Incarnationis octingentesimo septuagesimo secundo, indictione quinta, VI. Kalendas Iunii, ad honorem et gloriam Domini nostri Iesu Christi.

Expletis igitur his, quæ animo firmiter inhaerebant Imperatoris, videlicet de compositione Monasterii, et de susceptione Sanctarum Reliquiarum Clementis, et Apostolorum Petri et Pauli, cum ipse videret locum aptissimum Monasticae Religioni, ibi posuit nobiles genere, probos moribus, sanctos conversatione: quibus praecepit Abbatem Romanum nomine, virum honestum moribus, literali scientia eruditum, et quasi quoddam speculum bonitatis et innocentiae, qui omnibus erat respicietibus ad se quasi murus inexpugnabilis, et contra omnia adversa securus. Fecit etiam praeceptum super Abbatis electione, ut non eligatur de extranea Congregatione; Sed quotiescunque qui praeest Abbas obierit, habeant fratres licentiam ex sua propria Congregatione eligendi Abbatem. Quod qui transgressus fuerit, sciat se non pastorem, sed lupum ponere, et in extremo iudicio paenam praeparatam habere. Post haec Ludovicus, habito cum suis consilio, iussit plures Episcopos convocari, et in die congrua et competenti fecere Ecclesiam in honorem Sanctae Trinitatis et Sancti Clementis, et aliorum Sanctorum solemniter dedicari. Tantaque multitudo populi fuit ibi, ut ab eadem insula, quæ satis lata et ampla est vix posset capi. In cuius dedicatione maxima donaria fecit Ecclesiae, videlicet ad maiorem suae mercedis cumulum, ac loci ipsius necessarium supplementum Christique servorum, ibique degentium, seu illuc undecumque advenantium, perenne subsidium contulit in praefato Coenobio, quodcumque habebat in proprio et iuste, ac legaliter videbatur tenere intra fines Italiae. De quibus fecit plura praecepta, quæ servantur in Archivis publicis ipsius Ecclesiae ad notitiam posterorum profutura. Dedit ad honorem eiusdem Ecclesiae in eius solenni dedicatione plurima vasa ex solido auro et argento fusilia, quæ multa tempore resplenduerunt in ea ad Christi servitium dedicata; fuerant etiam in eius dono diversa pallia auro et gemmis radiantia, quibus parietes Ecclesiae ornabantur, et Fratres induebantur quoties magna festivitas in Ecclesiae celebrabatur. Et ut affectus illius, quem erga Monasterium hoc habebat supra omnia Monasteria, quæ a Regibus ceteris in Regno suo fuerant aedificata, manifestretur, et cunctis innotesceret, dedit eidem Monasterio in perpetuum possidendum iure hereditario Sceptrum regale, quod gestabat in dextera, ut illud Abbas portaret in solemnibus festis, in loco baculi pastoralis. Et in tantum dilexit Coenobium, ut omnem causam ipsius tamquam peculiarissimæ domus suae quoadusque vixit pro amore superno exequi modis omnibus praeordinavit. Post suum vero ex hac luce discessum illi eiusdem Ecclesiae commisit tutelam ad cuius honorificentiam suo studio, eam constat extractam. Ludovicus igitur perfectis omnibus, quæ ad regimen praelati Monasterii, et ad decus totius Imperii pertinere videbantur, regresus est ad propria, ibique religiose et pie vivens, et religiosius et magis pie mortens animam Deo reddidit, Regnumque et Imperium suis haeredibus dereliquit. Cuius mortis indicio, sicut in quibusdam Chronicis reperitur, stella sicut facula ardere visa est post Septentrionem septimo die mensis Iunii. Et tunc idem divae memoriae Imperator Ludovicus diem claudens extremum defunctus est XIII. die mensis Augusti. Romanus autem Abbas, quem ab eo ordinatum fuiste memoravimus supra, audito obitu eius, tanto ardore memoriam eius fecit, tot lachrymas pro eo fudit, tot pauperes et nudos vestivit et pavit; ac si eum ab inferis suis beneficiis crederet se posse revocare. Et non solum in illis diebus, quibus auditus fuit obitus eius, verum etiam usque in sempiternum, memoria Ludovici Sanctissimi Regis, et victoriosissimi Imperatoris in Monasterio Piscariensi non derelinquetur, dum lapis erit ibi super lapidem, et aliquis in eo vivens invenietur. Romanus vero prudentissimus Abbas post obitum Ludovici Imperiali tenore Monasterium rexit, augmentavit bonis omnibus et religione cumulavit, et peractis in regimine decem et octo annis felix migravit ad Dominum.

Verum quia superius de dedicatione Ecclesiae aliquantulum breviter locuti sumus, huic placet inserere lectioni de consecratione altarium, et positione inibi Sanctarum Reliquiarum: ut noscant posterius continuam celebrare memoriam illorum, quorum sciunt semper sibi inesse praesentiam. Dedicata igitur Ecclesia, consecratum est altare maius in honore Sanctae et Individuae Trinitatis, et Beati Clementis, cuius corpus honorifice sepultum ibi requiescit. Et sunt ibi Reliquiae Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, quis sanctae recordationis Papa Adrianus dedit Ludovico Imperatori cum corpore Beati Clementis excellentissimi Papae et Martyris gloriosi. Ad dexteram vero ipsius altaris medii consecratum est altare aliud in honore omnium Apostolorum, et conditae inibi sunt Reliquiae Sancti Andreae Apostoli, Sancti Clementis, Sanctorum Stephani et Laurentii, Chrysanti et Dariae, quadraginta Martyrum, Sanctae Romulae, Sanctorumque Marii et Marthae, et Sanctae Nymphae. Ad sinistram autem consecratum est altare in honore Beatissimi Benedicti Patris Monachorum, et Institutoris coelestis normae, ibique positae sunt Reliquiae Sancti Stephani Papae, Sancti Xisti, Sancti Calixti, Hermetis, Chrysanthi et Dariae, et Sanctorum Cyri et Ioannis, quatenus eorum patrociniis conservetur Ecclesia ista, in qua eorum per singulos dies celebratur memoria. In crypta vero quae sub altaris istis est, tria altaria constructa et consecrata sunt: quorum medium est consecratum in honore Beatae Mariae Genitricis Dei et Domini nostri Iesu Christi, dextrum vero in honore Sancti Blasii Martyris et Episcopi, sinistrum autem in honore Sanctissimi Nicolai. Hae reliquias, quas modo memoravimus, et alia plures, quas praesenti scripto tradere vitantes toedium lectoris nolumus, conditae habentur in Ecclesia, earumque memoria celebratur in ea ad laudem Domini nostri Iesu Christi, cui etiam una maiestas eademque divinitas cum Patre et Spiritu Sancto per infinita saeculorum saecula. Amen.

*Finit prosa. Incipit metrica.*

*Sequuntur haec in Manuscripto Codice Bibliothecae Regiae Parisiensis  
post Librum I. editum a Du-Chesnio,  
et Ughellio.*

De Ludovico Francorum Rege loquamur.  
Musa, para calamos, et eum modulando sequamur.  
Quamvis egregia pollerent laude parentes  
Istius et Francos regerent simul, et Bibinentes,  
Iste tamen Proavos, Atavos, et Avos superavit,  
Dum virtute sua sibi regna novella paravit.  
Tunc fines Calabros Rutuli, Siculosque tenebant,  
Et se Romanis submittere despiciebant.  
Audivit Ludovicus, gentisque Togatae  
Armari iussit populos per Gallica late  
Regna, Duces, Comitesque vocans; nullusque remansit,  
Qui portet gladium; sic confitus ardua transit  
Montis Apennini cacumina, usque ad undas  
Piscarias venit fluvio turgente profundas.  
Insula cingitur hoc a flumine Crisea dicta;  
Nascitur hac vinum, potusque sibi que ministrum  
Huius Oliva tenet dextrum latus, atque sinistrum.  
Quo dedit luctus, tanta est ibi copia fructus,  
Ut credat visus, quod vera sit haec Paradisus.  
Hanc simul aspexit fortissimus Induperator,  
Ecclesia murus, Regni decus, et moderator;  
Dixit: Habet Dominus Paradisum deliciarum.  
Vallibus his, caulas ovium statuamus earum.  
Quae iugiter famulentur ei noctuque, dieque,  
Actibus in sanctis pietatis, iustitiaeque.  
Iste locus, quem fertilitas, et copia rerum  
Exornat, debet Domini secernere Clerum  
A populo. Faciamus in hoc Claustum Monachorum,  
Qui sint sussulti Libris, actuque priorum.  
His dictis incoepit opus, coeptumque peregit  
Inque Monasterio Monachos residere coegit,  
Ad victum praebens Villas, Castellaque plura  
Natura munita, manu numquam ruitura.  
His ita dispositis, si cetera scire velitis  
Aures aptate; quantum loquar, enucleate  
Rex Ludovicus postquam venit Beneventum  
Audivit Calabros commotos, atque Tarentum,  
Et Siculos cunctos Romanis bella parantes,  
Et gentes alias sibi multas consociantes.  
Accingunt igitur ferrum, vibrantque lacertis  
Hastas, et portis Urbem egrediuntur apertis.  
Nec cessant, donec videant hostilia rastra.  
Atque Tarentinos, et eorum fumea castra.  
Exclamant Franci vallantes obsidione.  
Urbes cum populis mox facta deditione  
Summittunt Regi Francorum seque, suosque,  
Urbes, castra, domos, villas, agrosque, lucosque;  
Atque Fidem Christi devote suscipientes  
Sunt Ludovico Dominum victore colentes.  
Subiedtis igitur Calabris, Rutulisque fugatis,  
Iamque novae paci submittere colla paratis,  
Moenia Romanie cum laulibus expetit Urbis

Debita victori solventibus undique turbis.  
Obvius intranti totus processerat illi  
Romanus Populus, magni simul, atque pusilli.  
Summus Praesul ei tradidit cum codice Legem,  
Atque coronatum vestit diademate Regem.  
Ille vocabatur Adrianus Papa secundus,  
Vir sanctus, legisque Dei notione profundus:  
Hunc Ludovicus Rex noster magnificarat,  
Ipsius et Clerum large tribuendo bearat.  
Et quantum Clerum large tribuendo beavit.  
Fecit propter eum Praesul quodcumque rogavit  
Contigerat faciente Deo, quod Martyris ossa  
Clementis iactata Mari, non condita fossa,  
Angelicis manibus facta de marmore cista  
Romae lata forent, quodam famulante Sophista,  
Nomine dictus erat Constantinus Sophus iste,  
Vir bonus, et sanctus famulantque pie tibi Christe.  
Iste Sophus patriae coelestis tactus amore  
Verborum Domini semen, quod habebat in ore,  
Dum spargit gratias cunctis, et dividit aequae,  
Aptus lucrandis animabus nocte dieque,  
Indomitos lavit populos, et rore vetusto  
Instituit, monuit, rexit moderamine iusto.  
Inde ferens secum pretiosi membra Magistri  
Clementis, Petrique simul, Paulique Ministri,  
Summum Pontificem Romanae reddidit Urbi,  
Laudibus immistis, resonantibus undique turbis.  
Rex Ludovicus, cui displicet omnis iniquus,  
Iustitiae cultor, et verae pacis amicus,  
Semper Piscariae Fratres in corde tenebat,  
Idecirco quantum locus hic Pastore carebat,  
Et quantum Sancti nullius corpus habebat;  
Accedens igitur Summi Pastoris ad aedes  
Intrat, eique datur confestim regia sedes.  
Assurgit Papa Regi, totusque Senatus,  
Quos residere iubens; est talia verba profatus.  
Imperiale decus recto moderamine rerum  
Ut crevit, crescat cursu labente dierum  
Et licet omnia sint subiecta meae ditioni,  
Est tantum in Coelis Rex Rege potentior omni,  
Cui Rex terrenus nisi sponte velit famulari,  
Perdit eos subita, quibus ipse putat dominari.  
Rex autem summus coelestia sic moderatur,  
Eius ut a cura terrestre nihil minuantur.  
Ipse valet firmas Regum confundere leges;  
Ipse potest ipsos etiam subvertere Reges.  
Quid Nabuchodonosor septenis fecerat annis  
Novimus: in campis quasi bos mansit sine pannis.  
Non est ex nobis, quod nostros pellimus hostes,  
Quod duro firmos confregimus obice postes.  
Quod victor redii, laus nulla mihi tribuatur;  
Non mihi, sed Domino, per quem vici, referatur.  
Ille meos hostes sola formidine stravit;  
Ille Tarentinos, Calabros, Siculosque fugavit.  
Ergo meo Domino pateat devotio servi;  
Subditus illi sum; nolintve velintve protervi,  
Gratia sola fuit quod ei placuit ire probamur.

Addatur meritis, ab eo ne destituamur.  
Quod meritum nostrum poterit conscendere sedes  
Ad superas, celsasque poli qui scandit ad aedes?  
Profecto supplex inopum, viduaeque precatus,  
Quos super intendens, fiet sine fine beatus.  
Verus inops et pauper hic est, qui dives habendi  
Cum sit, velle iacit totum, votumque tenendi  
Linqvit, et ad nutum ponit sua vota iubentis.  
Hic poterit Praesul vultu sedare potentis,  
Talibus institui propriis ex sumtibus aedes,  
Atque meas inibi iussi componere sedes,  
Ut quotiens illis venient incommoda, rite  
Percipiant totiens a me solamina vitae.  
Sed quantum vallatur aquis locus ille profundis,  
Atque cadens in eis moritur persaepe sub undis:  
Quaero Tutorem Patriae, vitaeque levamen,  
Qui ferat Ecclesiae rebus, populisque iuvamentum  
Cuius membra Maris fuerint demersa profundo,  
Cuius vita toto celeberrima Mundo.  
Nomine qui proprio sit pronus ad auxiliandum,  
Subiectisque suis sit promptior ad miserandum,  
Qui sit pro Christo pelagi demersus in undas,  
Cuius membra ferens tristes non sentiat undas,  
Clementem testem Christi cupioque voloque:  
Illum si tribuas mihi laudes, Imperioque.  
Te, Pastor metuende, rogo, sacrumque Senatum,  
Et populum, quem lacte foves, Clerumque beatum,  
Ut mihi des, quod iure peto; nec enim retinere  
Debes quod posco, nisi me contemnis, habere  
Insula Piscariae Papa Clemente beata,  
Martyris egregii sit corpore glorificata,  
Ut sanctus Clemens Pinnensi sine locatus  
Sit Teatinis, et Valvis propitiatus.  
Non me despicias; nec enim contendere debes.  
Rectorem populi, quem postulo, si mihi praebes,  
Urbis Romanae plebem, Clerumque beabo,  
Et te magnificis in rebus honorificabo.  
Dixit. Et Antistes summus respondit ad ista.  
Quem Dominus tribuit nobis operante Sophista  
Urbs Romana tenet, multo servabitur ense.  
Non decet ut fluvio mergatur Piscariense.  
Obrutus in fluctus semel est, et redditus, Urbis,  
Qua fuerat Praesul, gaudentibus undique turbis.  
Ausus quis fuerit laudare, quod hic tribuatur,  
Qui decus est Urbis istius, qua tumulatur?  
Non poterit fieri, quod eum donare velimus,  
Quo sine pro certo nos qualibet arte perimus.  
His dictis, unus de Clero dignus honore  
Surgit, et haec contra venerando protulit ore:  
Praesul amice Dei, quae tu de Martyre dicis,  
Ipsa placent cunctis etiam nostris inimicis.  
Traditus a Petro fuit huius Episcopus Urbis,  
Notus doctrina per climata quatuor Orbis.  
Multa quidem vivens, quam plurima nunc operatur;  
Et quod nunc vivit, virtutibus insinuat.  
Adhaerens vitae per vitam vivit, et ipse  
Non solum Romae vivit, sed vivit ubique:

Non igitur perdes, si donas Induperanti;  
Immo tibi servas illum, si das rogitanti.  
Insula Piscariae Clementis membra tenebit;  
Spiritus ipsius Romam, Regemque fovebit.  
Assensit Clerus Romanus: Papa quievit:  
Laetantur Franci: Rex laetus munere flevit.  
Traditur Augusto Clemens a Praesule totus:  
Martyr Romana sic est ex Urbe remotus.  
Accepit gaudens, et singula dinumeravit,  
Involvens panno serico, strictimque locavit  
In parvo busto, gemmis auroque micanti.  
Et sic egreditur cum plebe sua reboanti.  
Venerat ad fluvium, quo cingitur Insula tota,  
Quae, sicut supra iam diximus, est bene nota.  
Praecipitem se se fluvius tumefactus habebat  
Et secum pontes, et grandia saxa trahebat.  
Interius Fratres expectant advenientes  
Hymnos, et Psalmos, et Cantica sacra canentes.  
Non erat ingressus, quoniam vada nulla patebant;  
Fluctus, ut dixi, pontes et saxa ferebant.  
Quid facies dilecte Deo? Si Christus ad istas  
Nos misit partes, tua Piscare flumina sistas.  
Sanctus adest Clemens: cuncti discedite venti,  
Dixit, et imposuit sanctissima membra iumentum  
Unius in dorso: te Clemens dirigat inquit.  
Percutiensque manu leviori, spinea linquit.  
Intrat, et extemplo fluctus se se cohibentes  
Et nomen Domini, Sanctique sui metuentes,  
Sub pedibus muli quasi saxum dirigerunt,  
Et sanctum corpus pede sicco transposuerunt.  
Non fuit hoc subito, ne dicas vana fuisse,  
Sed longo tractu per siccum flumen abisse  
Novimus, et ripas pede siccato tetigisse.  
Hac Ludovicus re mira laetificatus,  
Et ceteri Proceres, et pars non parva Senatus.  
Condit in Ecclesia pretiosi Martyris ossa,  
Exornatque locum, cui sit per secula doxa.  
Amen.

*Explicit Historia de fundatione Monasterii Piscariensis,  
et Translatione Corporis Beati Clementis.*

## **LIBER SECUNDUS.**

Illis temporibus, quibus Ecclesia Christi sub Imperatore Ludovico florebat. Piscariense Coenobium desiderabiliter per eundem clementissimum Augustum a fundamentis aedificatum sublimi et copioso rerum mobilium et immobilium apparatu intra breve tempus surrexit et in possessionibus de prope, seu de longe largiter, et affluenter excrevit. Cum enim idem piissimus Imperator divinitus inspiratus circa ipsius Monasteria a se constructi donationem valde esset intentus atque sollicitus, copiosam auri et argenti substantiam ex suo fisco protulit, et ad emendas possessiones Abbati Romano, quem ab eo supra ordinatum memoravimus, diligenter commisit liberaliter assignavit. Cui nihilominus praecepit, ut specialiter omnem ipsam provinciam, quae ipsi Piscariensi Monasterio adiacet, et de monte, qui dicitur Mortula, circa eundem locum toto visu potest aestimari. Omnia vero, quae infra circuitum montium, qui de proximo considerantur, intra meatus fluviorum concluduntur, continuatim et legaliter emeret. Quatenus omnis ipsa Pinnensis, et Teatensis de circuitu Casauriensis insulae

finitima regio, prout eam ipsa cacumina montium proximorum ambiunt et concludunt, et termini fluviorum discernunt atque circulant, esset sacro iure Beati Clementis continuata possessio, et eius Abbatiae Piscariensi iusto, et legali tenore pertinens foret addicta, ipsique regali Monasterio sine interruptione regaliter et perpetuo mancipata. Per hinc siquidem emptionem Monasterio pertinetur cognoscitur omni possessio, quae circa Piscariensem Insulam a parte Pinnensis territorii cernitur, in qua conspiciuntur montes Soti, Brunisati, et Aquiliae. Quae possessio suis finibus, tribus videlicet, fluminibus, Cigno, Piscaria, et Tritano circumcuditur et terminatur Incipit enim a quodam castello, nomine Furca prope quod est quaedam petra Cervaria nuncupata, ubi nascitur rivus qui dicitur Cignus, quique suis meatibus fluens tendit in Piscariam. Citra quem fluvium quidquid intra flumen Piscariae, et flumen Tritanum consistit, et per Vallem Catoppli revertitur ad priores fines, scilicet Furcas, tam in habitaculis, quam in ceteris aliis rebus, videlicet terris, vineis, arboribus, campis cultis et incultis, silvis, salectis, planis et montusis, molendiniis, ac piscationibus, et cum omnibus circum circa meatibus aquarum; omnia tam ab eodem clementissimo Caesare quam ab Abbate Romano aliis antiqui Abbatibus acquisita et legatiter empta de Beati Clementis iure fuisse et esse, manifestis indiciis, et rationibus comprobantur, sicut et antiqua traditio opinio, et ipsius Monasterii chartulae contestatur Facta est autem similiter ex regali pecunia tam per dominum Romanum, quam per alios antiquas Abbates a parte Teatensis territorii de finitima et circumiacenti Monasterii possessione continua et largior emptio et legalis acquisitio, quae his fluminibus et montium summitatibus dilatata concluditur et terminatur, videlicet fluvio Lavino, et fluvie nomine Legio de pedemontis Magellae, indeque consurgit in celsitudinem montis Tarini, et pertransiens per Vallensem Furcam, ascendit in montem, qui dicitur Vasa, et quomodo per ipsius cacumen venit et descendit inter montes ad fluentia Piscariae, ubi Piscaria Tritanas aquas interflueret recipit. Deinde designatur ista possessio ex alveo fluminis Piscariensis, donec supradictum flumen Lavinum in eo fluens ingrediatur. Infra quam possessionem quidam Monachus nomine et opere Karus, cum esset de genere Karoli, consanguineus ipsius Augusti Ludovici, sub ipso tempore foundationis Monasterii Piscariensi Deo devote in eodem loco se reddidit, et, Monachus factus, missus est propter industriam suam ad possessiones montanas noviter emptas gubernandas. Ibi quoddam oppidum aedificavit, quod ex suo nomine Caramanicum est vocatum, per quod omnis ipsa pertinentia dicitur Vallis de Caramanico, quasi de Caro Monacho. Ipsa vera et quaecumque infra suprascriptos et consignatos praedictorum fluviorum, et montium terminos consistunt in villis, casalibus, oppidis, et ceteris rebus omnibus integrum similiter de Beati Clementis iure fuisse et esse nulli sit dubium.

Qualiter autem et quo pretio, vel a quibus personis empta fuerint omnia supradicta qui scire voluerit, vel instrumentales chartas revolvat, vel librum ex eisdem chartis adhuc Monasterio residuis compositum diligenter relegat, et ibi ex maxima arte cognoscere poterit. Romanus autem excellentissimus Abbas a Regis liberalitate sufficienter accepta pecunia, coepit eam ad Ecclesiae profectus simul et ornatus secundum Imperiale votum fideliter et prudenter expendere, Monasterium de ipsa in omnibus bonis, et maximae in possessionibus longa lateque opulenter augmentare. Cum vero oportebat, cum multo religionis habitu procedens ad huiusmodi exteriora negotia, consilio providus egrediebatur, et infra Monasterium contemplationis dulcedine fruens in sacri ordinis observantia quietus atque tranquillus assidue permanebat. In ipsius quoque insulae amoenitate se iugiter exercebat, et tamquam in medio paradisi positus eam delectabiliter excolebat. Est enim ipsa Casauriensis insula valde delectabilis et amoena, fructuum et herbarum suavitate referta, fluminis insuper Piscariae conclusa meatibus, ita ut, sicut supra scriptum est, velut alter paradiscus appareat. De cuius nominis et naturae pulchritudine quidam sapiens versificans ait:

*Ad patriae laudes natura nomen obedit;*

*Auro tota nitens, aurei nomen habet.*

*Ut verum fatear, si quid pretiosus auro*

*Mundus habere potest, hoc habet iste locus*

*Omne genus grani, vini genus omne videres,*

*Arboris omne genus, sponte parare cibum;*

*Hic Domino vivit Sanctorum turba virorum;*

*Hic Martyr Clemens gaudet honore suo.*

Habet enim Piscariensis insula proprium nomen suum, videlicet Casam Auream; nam in antiquis ex eadem insula conditis instrumentis invenitur habuisse nomen Casaurae, ab aura ventorum, quae potenter ibidem stare dignoscitur. In regalibus quoque privilegiis et sequentibus Monasterii chartulis describitur Casa Aurea, pro eo nimirum, quia de regali Thesaurio fuit eadem insula comparata, et ex ipso etiam eadem Sanctae Trinitatis Ecclesia in sua constructione sublimi ornatu ditata refulsit. Potest etiam dici aurea, propter excellentiam pulchritudinis et honoris eius, quia vineis, hortis, et fructiferis arboribus consita, et Piscariae flumine circumclusa naturaliter, sicut dictum est, fertilis est et amoena. Unde quidam sapiens versificans ait:

*Aureus iste locus tanto splendescit honore,*

*Ut res et nomen comprobet inde datum.*

*Nec tamen ex aequo nomen respondet honori;*

*Nam minus ipsa re nomen honoris habet.  
Tot natura loco bona tam bene contulit isti,  
Ut supplere nihil vel renovare queat.*

Fluvius namque Piscariae, qui Casauriensem insulam undique cingit et circumvallat, sicut tradit *Liber de mirabilibus mundi*, et ipsa rei veritas ostendit: nascitur in imo cardinum valve, in loco ad radices montis, qui dicitur Calmentinus, indeque progrediens, et profluens, multisque iam aliorum fluviorum aquis in se receptis, meatu per montana vel moenia canalium Alpium Magellae scilicet inter montes duos Soti et Ursae decurrit: postea vero egreditur in quamdam planitiem, ubi competenter incipit dividere Pinnense territorium a Teatense, et tamquam terminus eorundem inter utrumque fluens, suisque meatibus pulcherrimis et amoenis istarum duarum regionum fines usque ad mare determinans distinguit. Antea vero, quam ad ipsam Casauriensem insulam deveniat in impetu et velocitate magnoque sonitu a loco, qui ab antiquo dicitur Pons-Regalis, in locum concavum et immensae profunditatis defluit, et in largam atque profundam inundationem se celeriter expandit. De cuius profunditate ac inundatione sit mirabilis aquarum divisio; et una quidem pars a latere Pinnensis territorii tendit; altera vero a parte Teatensis, et circa radices montis Mortulae decurrit, donec insula undique aquis cincta et circumvallata, ipsae aquae sibi reoccurrant. Quae ad invicem reiuunctae in unum inter Comitatum Pinnensem et Teatensem per suum alveum usque ad mare discurrit, et sic in pontum Adriaticum Orientale se insinuat. Currit vero praedictus Piscaria millia quadraginta quatuor, et sic se in praedicto ponto obcludit.

Ut autem melius atque melius cognoscatur a posteris et a progenie in progeniem innotescat quanta fuerit in principio sui Piscariensis Abbatia Sancti Clementis, quae terra possessionis eius, quibus terminis, atque confiniis concludatur, quo quantove pretio fuerit acquisita, nomina quoque villarum seu casalium, et ex quibus villis atque casalibus in ipso fundo castella postea fuerint aedificata, quae namque in ipsis pertinentiis, et tenimentis locorum, Ecclesiarumque vocabula, quemadmodum in Instrumentali volumine repiuntur, summam et liquido dignum duximus in hoc opere declarare. Est igitur, ut supra tetigimus, in finibus Pinnensis Comitatus circa Monasterium, et Casauriensem insulam, Piscariae tantum flumine intercurrente, regio tribus ambita et conterminata fluminibus; quorum fluviorum unus nascitur in loco, ubi propter Cervos, qui de proximis Silvis potatum ibidem venire solebant, dicitur Petra Cervaria, nomine Cignus, qui suis meatibus in Piscariam defluens, quia eius aqua in quibusdam suis gurgitibus serpenticulos et anguillulas nutrit, Cignus vocatur. Huius vero regionis possessio facit initium ab eodem loco, ubi Petra Cervaria nuncupatur, et Cignus nascitur, et subit transitque per Furcas Pinnenses, et descendens in Valle de Trite in confinium Valvensis Comitatus protenditur usque ad locum, ubi Caputaquae dicitur, indeque propter quod ex tribus fontibus, quod emanat, flumen Tritatum vocatur, vel ob copiam Truttarum piscium dicitur Trutanum. Possumus etiam dicere Aquas Tritanas, quia Trutta et Anas in ea foecundissimo foetu congignunt. Itaque flumen istud per ipsam Vallem de Trite decurrens praedictae regionis extrema determinat, donec in Piscariam ingrediatur. Piscaria nempe, vel quia iuxta sui magnitudinem piscium multitudine caret, vel propter pisces, quos valde saporosos et caros habet, tale nomen accepit. Cuius cursus cum, postquam circa radices montis Soti, et Monasterii Beati Clementis insulam pertransierit, usque ad locum, in quo praedictum Cignum fluvium in se recipit, devenerit, praedictam regionem designat, atque concludit. Supradicti vero tres montes, qui infra regionem istam ab Occidentali plaga Monasterii conspiciuntur, unus eorum, quoniam in summitate sui est durus et asper, ab asperitate vocatur mons Soti; alter a Brungis et Prungis vocatur Brungata; tertius vero mons vocatur mons Aquiliae, idest Aquilae, eo quod Aquila solet ibi nidificare. Est etiam a Septentrionali latere alius mons, in quo situs est quidam collis, qui dicitur Falconis: qui sive quod a quodam viro nomine Falcone olim fuit inhabitatus, sive a volatu ipsius volucris Falconis totus ipse mons dicitur Falconius.

Praeterea fontes et rivus aquarum habet haec regio, videlicet rivum de Pantano, qui de praedicto monte Soti defluit, rivus Ceculi, rivus Candidi, in quo panni candidantur quem etiam Adam Piscariensis Abbas, cum a Rocca sua reverteretur et inveniret Pastores ovium suarum ibidem uncinas facientes, commutavit nomen eiusdem rivi, et vocavit eum rivum de Uncinis. Sunt et aliae aquae in eo defluentes, quae Tresrivi appellantur; rivus etiam, qui dicitur Vomeris, rivus de Fleccine, qui in loco nomine Vadaluto Piscariam subintrant. Demum rivus, qui vocatur Merdariolum, et deficit in alveum de Piscaria.

Ante principium ergo Monasterii Piscariensis infra terminos supradictae regionis erant villae, casalia, locorumque habitacula, quae legitima venditione fuerunt empta, et in iurisdictionem, et proprietatem Beati Clementis de regali pecunia legaliter acquisita.

Haec vero sunt nomina villarum et casalium ipsorum, secundum quod astruunt instrumenta Chartarum; Vicus Pinnensis, Pantanum, Rangianum, Collis, Casaleclum, Teczanicum, Victorita, Blunesa, Colmella, Stabuli, Pirolum, Loceriole, Opaculum, Fleccine, Vadulatum, Curtis de Leriano, Petacsanum, Petelanum, Cedisse, Cerbaranum, Collis Falconius, Carcofani, Morus, Lecertus, Casulae, Capitinianum, Osanum, Blesianum, Madici, Niranum, Mortula, Asinani, Retianum, Andrailanum, Legonianum, Palearitia, Casale de Maringe, Sancta Victoria, Sanctus Angelus, Mortianum, Fiola, Cossis Superone, Banio, Collis de Cortina, Ruginosum, Carpentum, Sandula, Collemanianum, Novae, Banianum.

In ipsis profecto pertinentiis villarum, casalium, ac habitaculorum inveniuntur praediorum, locorum, Ecclesiarumque vocabula, ex quibus duximus quaedam ipsis suis exprimenda vocabulis.

I. In pertinentia de Vico Pinnensi haec inventuntur locorum Ecclesiarumque vocabula: Ecclesia Sancti Calixti, vocata Clusura, Casore, Lacus Rotundus, Lacus Minor, Lacus Maior, Pratum Regale, ubi pons fuit constructus, qui Pons-Regalis

est dictus, Via-Cava, locus qui olim dictus est Avium, ubi est nomine Sancta Mariae Ecclesia dedicata, et ubi Sancti Ioannis nomine Capella est constituta; Gemmetum, Piro-Corbolo, Gemeruti, Nuscule, Lamacina, Romaniani, Casatrottuli, Cennegetum, Spinetum, Subtusgratta. Possessio nempe Vici Pinnensis, sicut in utraque parte voluminis Instrumentalis supputatur, reperitur esse ad mensuram triticei seminis terra modiorum septingentorum octoginta unius. Pecunia vero inde vendentibus exacta, et ab ementibus persoluta, necnon ab Abbatibus a principio Monasterii data vel locatione accepta mille sexcentorum septuaginta duorum solidorum, et caballi duo, et boves septem, sicut ex singulis chartis colligitur supputatur.

II. In pertinentia de Ragiano, Pantano, et Colle inveniuntur locorum, Ecclesiarumque vocabula. In Pantano Ecclesia Sancti Pelini nomine dedicata, in Ragiano Ecclesia Sanctae Mariae, et alia Ecclesia Sancti Angeli nominibus dedicatae. Casa de Antonio, Caesa, Morus, Clusura, Fons de Curtina, Viniale, Tufagie, Porcianum, Pons remedii, Pastina, Ecclesia Sancti Silvestri in ipso Ragiano sita, locus ubi dicitur Mandra, et Garagetum; locus ubi dicitur Fossa, et ubi dicitur Rucciolum, et ubi dicitur ad Rivum sub Ripa, et ad Clivum, et Fornella, Plagia, Longezes, Quercus Crossa, Piscina de Aquaviva, Bolobro, Vallis de Flectomata, Transrivum, Mons Soti, Ecclesia Sanctae Trinitatis, et Crypta in ipso monte Sancti Michaelis nominibus dedicata; Locus nomine Collis, et Ecclesia Sancti Petri in pertinentia ipsius collis in loco, qui dicitur Periculi aedificata, Pomariolum, possessio nempe ipsorum trium casalium, Ragiani, Pantani, et Collis, est ad mensuram triticei fominis terra modiorum mille quingentorum viginti septem: pecunia vero inde a vendentibus exacta, et ab ementibus persoluta, necnon et ab Abbatibus a principio Monasterii data, vel locatione accepta, solidorum mille quingentorum quadraginta unius: conca una argentea, caballi tres, boves octo, sicut ex singulis chartis colligitur et supputatur.

III. In pertinentia de Casale Casalecchio, et de Villa Tezanico, inveniuntur locorum Ecclesiarumque vocabula: Ecclesia Sancti Martini vocata, locus qui dicitur Collis, et supus Colle Atrium Sancti Martini, Terra Piniataria, Via Saracinesca. Ecclesia Sancti Felicis nomine consecrata in eodem Tesinico, Locus, ubi dicitur Foris de Altula, Clusura. Possessio nempe ipsorum duorum Casalium Casalecchi, et Tesanici, est ad mensuram triticei seminis terra modiorum sexcentorum quatuordecim. Pecunia vero inde a vendentibus exacta, et ab ementibus persoluta, nec non ab Abbatibus a principio Monasterii data, vel locatione accepta, solidorum sexcentorum septuaginta unius, sicut ex singulis chartis colligitur, et supputatur.

IV. In pertinentia de Victorita, et Blunza, Colmella, Stabulis, et Perule, inveniuntur Ecclesiarum, locorumque vocabula; Casa-vetere, Orgule, Plano, supradicto Gemmeto, Noale Manaresce, Vintioni, Cellario, Terra, ubi dicitur Sancti Angeli. Locus, ubi dicitur Sacorum. Capella in ipsius Victoriae receptaculo constituta Sancti Nicolai nomine. Extra ipsam Villam, Ecclesia Sancti Antonini vocabulo consecrata. Ecclesia alia in Blunza Sancti Nicolai vocabulo dedicata. Vineam maiorem, Tufo, Urciona. Possessio nempe ipsarum quinque villarum, Victoriae, Blunsae, Colmellae, Stabulis, et Perulae, et ad mensuram triticei seminis terra modiorum octingentorum viginti trium. Pecunia vero inde a vendentibus exacta, et ab ementibus persoluta, necnon a principio Monasterii ab Abbatibus data, vel locatione accepta, solidorum segentorum quinquaginta duorum, boves septem sicut ex singulis chartis colligitur, et supputatur.

V. In pertinentia Villarum, atque Casalium videlicet, de Opaculo, Fleccine, Vadulato, et Petaczano, inveniuntur Ecclesiarum, locorumque vocabula: Petrosula, Fonsallonis, Ecclesia Sancti Pancratii nomine constructa, Poium de Codaculis; Luciano, Vallis sub Forcella, Casalina, Frudunclii, Ripa Ansonis, Corni, Cortina, Maranello, Collecchi, Campus de Lentesco Viniali, Calera, Ecclesia Sancti Martini vocabulo extracta. Possessio nempe ipsorum quatuor Casalium est: ad mensuram triticei seminis terra modiorum septingentorum decem et octo. Pecunia vero inde a vendentibus exacta, et ab ementibus persoluta, necnon a principio Monasterii ab Abbatibus data, vel locatione accepta, solidorum octogentorum septuaginta quinque, sicut ex singulis chartis colligitur, et supputatur.

VI. In pertinentia Casalium de Peteliano, Cedisse, et Cerbarano, inveniuntur locorum, Ecclesiarumque vocabula, videlicet Ecclesia Sancti Viti nomine constructa, Cori, Castellovecchio, Coniulello, Fossatum de Fonte Savina, inter rivos, Petrae maiores, Ecclesia Sanctae Iustae nomine dedicata, Ecclesia Sancti Comitii nomine dedicata, Ecclesia Sanctae Mariae vocabulo Ciaciris, Ecclesia Sancti Petri nomine constructa, Summa, Vico, Ecclesia Sanctae Mariae honore dedicata, Sessiano, Furcella. Possessio nempe ipsarum trium villarum est ad mensuram triticei seminis terra modiorum trecentorum octoginta novem. Pecunia vero vendentibus exacta, et ab ementibus persoluta, necnon a principio Monasterii ab Abbatibus data, vel locatione accepta, solidorum trecentorum octoginta, sicut ex singulis chartis colligitur, et supputatur.

VII. In pertinentia Villarum atque Casalium de Carufani, Moro, Lecto, Casule, Capitignano, Ozano, Blesiano, et Madici, inveniuntur locorum, Ecclesiarumque vocabula, Mansiano, Porcarezza, Sculcula, Petorci, Sancta Maria de Morello. Ecclesiae Sancti Nicolai et Sanctae Iustae nominibus dedicatae. Ecclesia Sanctae Luciae nomine dedicata in Moro. Sancta Maria de Cerraniano: Sanctus Apollinaris, Sanctus Vincentius in Lecto. Fasenario Sanctae Mariae Ecclesia dedicata, Porcari Paganeo, Pontiano, Cluso, Cancelli, Micalae, Tresoliae. Ecclesia Sancti Leuterii vocabulo, et Sanctae Luciae vocabulo, in Osano. Ecclesia Sanctae Mariae in ipso Blesiano, Ecclesia Sancti Petri in Madici. Possessio nempe supra dictorum octo Casalium est ad mensuram triticei seminis terra modiorum trium millium. Pecunia vero a vendentibus exacta, et ab ementibus persoluta, necnon a principio Monasterii ab Abbatibus data, vel locatione accepta solidorum sexcentorum, sicut ex singulis chartis colligitur, et supputatur.

VIII. In pertinentia Casalium de Nerano, et Fabrica, Mortula, Legoniano, et Asinariis, Retiano, et Andravano, inveniuntur locorum, Ecclesiarumque vocabula. Vocabulum de Sancto Savino, et de Sancto Andrea, et de Sancto Antonino.

Macclabona, vocabulum de Sancto Petro ad Asinarios, Ruginosum. Vocabulum de Sancta Lucia, et Pontiano. Vocabulum de Sancti Petro Plaia Asole. Vocabulum de Sancto Damiano. Putella de puteo, Fossato-cupo, Colle-peluso possessio nempe praedictorum septem Casalium, est ad mensuram triticeae seminis terra modiorum mille trecentorum viginti unius. Pecunia vero a vendentibus exacta, et ab ementibus persoluta, necnon a principio Monasterii ab Abbitibus data, vel locatione accepta, solidorum trium millium centum quadraginta novem.

IX. In pertinentia quoque Villarum, seu Casalium de Palearicia, Casale de Maringe, Sancta Victoria, et Sancto Angelo, Mortiano, Ruginoso, Carpeneto, Biani, Fiola, Campuli, et Superone, inveniuntur locorum, Ecclesiarumque vocabula, Pectiae, Plaiae, Clusurulae, Serrum-cello, Imbricae, Castellum, vocabulum de Sancto Eleutherio; Clusura, Furcella de Rugenoso; Vocabulum de Sancto Simeone, et Sancto Angelo, Vallis de Arne; Vocabulum de Sancto Salvatore, Fons turturis, Collis de Lentesco, Planum de Fara, Cava de Sancto Ioanne, Roiaro, Cerrerum, Waldari, Cortina; Vocabulum de Sancto Victorino; Pratum Lensarose; Vocabulum de Sancto Leopardo, Ecclesia Sancti Leucii in Castello Campuli; Collis Munduli, Celiulae Collis Stabionis, Foncella, Ofelici, Plaia petrosa, via de Sancta Lucia, Macerina Rivus de Bussi, Vorago de Plaia-ficca, Neretulo, Casadeladi, Casule, Prata inter Rigora, Fonsodonis. Sancta Maria de Superone, Balentii, Fossa Guarmonis, Ceppeta, Valentino, Sancta Agatha, Sanctus Laurentius, via Ostolesae, Collemaio, Lacus; Possessio nempe praedictorum undecim Casalium, seu Villarum est ad mensuram triticeae seminis terra modiorum mille centum viginti octo. Pecunia vera a vendentibus exacta, et ab ementibus persoluta, necnon a principio Monasterii ab Abbatibus data, vel locatione accepta, solidorum trium millium septingentorum septuaginta, boves quatuor.

*Huc usque producta est pars Chronici Casauriensis a Du-Chesne, et ab Ughellio editi. Privilegia vero quae Ughellius ad calcem editionis suae amandaverat nos loco suo adtexuimus.*

*Sequuntur alii libri, quos Lucas Dacherius vulgavit, eosque primo et secundo succedentes tertium et quartum numeravimus. Prologum tamen auctoris, qui fortasse libro primo aptior fuisset, loco movere nolimus, ut singulorum editiones integras exhiberemus.*

## LIBER TERTIUS.

### PROLOGUS.

*Piscariense Monasterium in honore ac vocabulo Summae et individuae Trinitatis, a Ludovico magnifico Imperatore fundatum atque constructum est; corpore namque gloriosi Pontificis et Martyris Christi Clementis donatum, ac proinde per diversas Italiae provincias, multis praediis et amplissimis possessionibus dilatatum, sublimiter effulsit, et in principio sui multa religione, seumorum excellentia peditum, mirabiliter claruit. Quod nimirum antequam construeretur, et in exordio foundationis suae, ipso Serenissimo Augusto largiente, et tanquam vivum lapidem primum Abbatem nomine Romanum accepit: de cuius morum gravitate, et rerum acquisitione, tam ipse Clementissimus Imperator in quodam suo privilegio testatur, quam etiam ipse Monasterii chartulae clarius manifestant. De possessionibus vero et dignitatibus Monasterio collatis, habuit multa regalia praecepta, et copiosa chartarum instrumenta. Sed postea, peccatis exigentibus, sicut de possessionibus multa perdidit, sic de regalibus privilegiis, et instrumentalibus chartis multa plura ob culpam et negligentiam quorundam amisit.*

*Nos igitur moderno tempore, licet ingenio et scientia iuniores et imperiti, tamen super hoc divinitus sollicitati, cum ingenti toedio et labore residuum omne chartarum ipsarum revolvimus, et ab honorem Beati Clementis, et minime, et profectum sanctae suae domus, de eisdem chartis tanquam in unum opus librarum ordinantes composuimus, ne videlicet causa vetustatis, vel per negligentiam, sicut olim, amittantur; et maxime ut Abbatia Sancti Clementis Casauriensis, quod excellenti et principali iure semper fuerit Regalis atque sublimis, non ignoretur a posteris.*

*Praetera sciendum, quod tempore foundationis Monasterii Piscariensis nulla castella penitus infra omnem circuitum monitum, qui de proximo considerantur, et qui fines ipsos ambiunt, erat adhuc aedificata; sed omnis illa tam Pinnensis, quam Teatensis territorii regio, per finitima, et circumquaque posita loca frequentibus villis atque casalibus inhabitabatur, et quasi sub ficu, et vite, vel in propriis praediiserat hominum illius temporis incolatus. Post Monasterii vero constructionem quadraginta circiter iam elabentis annis, cum ab Aganeri et gente Pagana, sicut in chartis et Chronicis reperitur, Monasterium fuisset igne crematum, et paene destructum, et ipsa finitima regio desolata, Barbaris, ut fertur, a Christianis victoriosissime effugatis, ob metum ipsorum, ex villis munitiones, et ex casalibus castella fieri coeperunt: quaedam Abbatum constructione, quaedam Abbatum concessione a divitibus accepta pecunia pro Coenobii restauratione. Nonnulla quidem ab eodem tempore per eorundem locorum invasores, in Monasterii possessione fuerunt oppida violenter aedificata: quae postea per huiusmodi occupatores non solum retenta, immo a Monasterii dominio, violento iure sunt exempta, et irrecuperabiliter alienata, misera pigritia seu carnali negligentia quibusdam Abbatibus incumbente.*

*Ad notitiam itaque posteriorum, ex quibus villis et casalibus ipsae munitiones, et eadem castella invaluerunt, prout verius scire potuimus, tam relatione scientium, quam traditione chartarum, modo in capitulis huius voluminis, modo in chartarum titulis expressimus.*

#### INCIPIT LIBER TERTIUS.

Coepit igitur et creatum est Piscariense Monasterium tempore quo Papa gloriosissimus Nicolaus Romanum gerebat Pontificatum, et Michael Constantinopolitanum regebat Imperium, supradicto Caesare Ludovico, Augusti Lotharii filio, in honore Sanctae et Individuae Trinitatis illud fundante et construente. Sicque coelesti preadestinatione seu dispositione factum est, ut uno, eodemque tempore fieret et Corporis Beati Clementis inventio, et Sanctae Piscariensis Ecclesiae constructio, ut sicut olim eidem Sancto Corpori fuit ab Angelis habitaculum in maris pelago praeparatum, sic etiam eidem reperto, et in Italiam reportato, foret ab hominibus Sacrosanctum Templum regaliter aedificatum.

854.

Sed ante non multos annos, videlicet Anno Dominicae Incarnationis DCCCLIV. Imperii vero Domni Ludovici tertio et patris eius Lotharii Augsti XXXIV. Indictione prima currente; cum idem gloriosus Imperator in Comitatum Pinnensem devenisset, et iam ipsum Monasterium fieri votivo corde coepisset, emit ad honorem Dei et Beati Clementis, et ad perpetuum commodum Sanctae suae Piscariensis Ecclesiae a quodam nobili et potente viro, nomine Corvino omnes eius per eundem Comitatum Pinnensem diffusas, uberes, et largas possessiones in casis, et casalinis, casalia Brelianum, et Linari cum omnibus tenementis et pertinentiis suis, et cum ceteris rebus mobilibus, immobilibus eorum. Unde receperunt ipsi venditores ab eadem Clementissima Regina bullas de auro duas equum optimum unum cum argentea sella, in pretium MCC. solidorum, sicut testatur chartula venditionis eorundem.

Sequenti post hoc anno Domino Ludovico in finibus Spoletinis commorante, et pro Imperii tranquillitate auguraliter decertante, legibus acquisivit a quodam potentissimo viro Adelberto omnes res proprietatis eiusdem, quas opulenter videbatur tenere intra fines Italiae, Tusciae, Spoleti, et Romaniae. Ipsas profecto Piscariensi Monasterio clementer addixit perpetuo possidendas: sed cum post mortem praedicti Adelberti quidam Comes Hildebertus easdem temerario maloque ordine pervasisset, eisque incumberet, ab eodem Imperatore calumniatus, et causidicatus, ac per Advocatos et Iudices palatii sui confutatus, atque convictus, ipsa res in integrum in propriam potestatem Domini Augusti sicut antea reversae, prorsus in iuris proprietatem Piscariensis Ecclesiae fuerunt redactae. Qualiter autem et quomodo in anno Imperii sui VIII. Res ipsa praedicto Adelberto dante fuerint acquisitae, ac in anno Imperii eius X. super ipsum Ildebertum Comitem causidice recuperatae pagina, quae decreto Principum et Optimatum Italiae, qui in ipso placito praefuerunt, inde fieri iussa est, lucide manifestat.

866.

Consequenter etiam annio Imperii sui XIV, idem gloriosus Imperator accepit in augmentum Ecclesiae Piscariensis perpetualiter habendum, a quibusdam eximiis viris de Comitatu Senensi, videlicet Farimundo Diacono et Capellano, a fratribus suis, filiis quondam Farulfi, donationem sub titulo proprietatis curtem in fundo palmae cum casis massariciis, et omnibus rebus sibi pertinentibus. Unde receperunt per missum Domni Augusti nomine Adeggerium, caballum unum peroptimum, sicut testatur chartula donationis eorundem.

Item Serenissimus Imperator per omnem Italiam cupiens Monasterium quod construi decreverat possessionibus dilatare, misit ideo Romam quemdam Hermenulfum Comitem familiarem suum cum infinita pecunia: qui datis ex ea octingentis libris argenti Petro Consuli et Duci Romanorum, accepit ab eo ad proprium ius Augusti in ipsa Romana urbe, solarium habitatonis sua, cum area et curte, Sala seu Capella Sancti Blasii, cum balneo et viridiario et curtem in fundo Tussiano iuxta lacum Sabbatini, cum omnibus rebus sibi pertinentibus.

869.

Unde Salerni, ubi Domnus Imperator anno Dominicae Incarnationis DCCCLXIX. pro totius Romani Imperii commodo, et Christiani nominis libertate morabatur, chartula firmitatis condita, et in ea eodem Petro et altis nobilibus civibusque Romanis se subscribentibus testibus est corroborata hoc modo Petrus in Dei nomine Consul, et Dux in hac charta

venditionis a me rata subscripsi. Signum manus Iohannis filii Leonis de Civitate Roma ex genere Romanorum. Ego Gregorius, filius Leonis de Civitate Roma, legem vivens Romanam, in hac charta venditionis rogatus a Petro testis subscripsi. Signum manus Iohannis Ducis de Civitate Roma legem vivens Romanam testis subscripsi. Teubaldus legem vivens Romanam in hac charta venditionis rogatus a Petro testis subscripsi. Signum manus Landerici ex genere Romanorum. Richinus rogatus a supradicto Petro testis subscripsi. Agelmundus Notarius Domni Imperatoris in hac charta venditioni rogatus a supradicto Petro testis subscripsi. Iohannes, et Aripertus in hac charta vendit, rogati a Petro testes subscripserunt. Petrus Notarius Domini Imperatoris scriptor huius chartule venditionis, quam post traditam complevi, et dedi.

872.

Vir etiam nomine Pratarum vendidit eidem Augusto anno Imperii sui XX. terram in fundo Aprutino, Casale vocabulo Iuliano pro supplemento Piscariensis Ecclesiae acceptis ex Regio Fisco XX. solidis.

Circa tempus vero foundationis Monasterii Piscariensis magnificus Imperator nolens sicut olim Rex David, nisi in proprio solo constituere domum Dei, accersito quodam Illustrissimo Sisenando, et tributis ei per missum suum Adaldum XX. libris argenti, exegit ab eo quicquid possessionis et iuris proprietatis, nec non conditionis ex eadem habebat Insula.

### I. ABBAS ROMANUS.

Igitur Abbate Romano iam ordinato, et in apparatu fundandae Piscariae Ecclesiae studiosus, insistente, quidam Auderadus Amiternensis concessit pro anima sua ipsi sancto loco in subsidium Monachorum servos et ancillas, in loco nomine Urbeto, et vallem Civitonicam, et in Pantano et Civitate Caballari; et terram modiorum mille nongentorum. Eodem modo fecit consobrinus eiusdem Auderadi, nomine Manardus, pro anima sua, et genitoris sui Auderadi, et matris suae Mariae, omnia, quae habebat in ipso monte Sancti Mauri, videlicet silvas et terras, et in loco nomine Poze terram viginti modiorum.

Ipsa quoque tempore Romanus, religiosus Abbas, fecit plurimas praediorum emptiones, videlicet a Liutaldo terram in eadem Insula Piscariae.

Praeterea Suppo Picensis Comes, qui et Dux inscribitur, in Imperatoris exercitu fulgidus, sub ipso tempore translationis Beati Clementis obtulit pro luminariis ante ipsum sanctum corpus habendis quamdam villam suam apud Pinnensem Civitatem, nomine Paternum, cum redditibus et omnibus sibi iure pertinentibus.

Item Romanus Reverentissimus Abbas eo tempore quo Monasterium constructi debebat emit in Beloniano, Caniano, et vico Teatino, terras, casas, vineas, et omnes res Magelfredi, filii Formosiani, possessionem centum viginti modiorum praeter silvas et vineas, et omnem haereditatem suam, sicut videbatur habere in montanis, et planiciis.

Igitur cum in vico Teatino in campestri planitie iuxta fluentia Piscariae maneret exercitus, et Dominus Imperator Ludovicus ad foundationem Monasterii vehementer anhelaret. Eodem tempore tractata et habita ambitione cum Grimbaldo Pinnensi Episcopo de Casauriensi insula, accepit ab eodem scriptum confirmationis.

Sane Romanus Abbas prudenti consilio a possessionibus sibi venditis viros qui eas vendebant non penitus excludebat, sed et nonnullis de venditoribus a se possessiones emptas, et in Monasterii ius conversas beneficii ordine legaliter praestabat, sicut fecit de quibusdam viris Arifredo et Ildeperto et Raciperto, quibus ipsas res, quas ipsimet vendiderant, Paterno, Selcano, et Ragiano concessit sub certo censu. Cum igitur Ludovicus Imperator Beneventum proficisceretur, fundati iam Casauriensi Basilica, commisit ipsum opus Domino Romano Abbati ut donec idem Imperator rediret, structurae parietum insisteret, et in emendis possessionibus valde sollicitus et intentus esset. Unde sub ipso tempore fecit per plurima loca plurimas emptiones villarum, praediorum, casalium, domorum, terrarum, vinearum, camporum, multarumque rerum mobilium et immobilium. Nam in villa Fleccine omnes res cuiusdam Rimonis, filii quondam Aderisi ex genere Alammandorum; omnes res cuiusdam Rosperti filii quondam Leonis in villa Lucino Tocci tenemento, et omnes res et substantias cuiusdam W. Indeperti filii quondam Luponis in Villa quae nominatur Scanglare Castello Sancti Valentini pertinente.

Sequenti quoque die vir nobilis et ditissimus Lupo filius quondam suprascripti Aderisi, obtulit se cum omnibus rebus suis mobilibus et immobilibus quas habebat in Bectorrita Domino Romano Abbati, et veniens ante altare fecit oblationem rerum suarum, et secundum Regulae morem vitam Monasticam assumens in congregatione receptus est, sicut libellus traditionis quem de suis rebus condidit, protestatur; Ipso etiam die Romanus Abbas fecit altera emptionem a ditissimo viro Magelfredo, Formosiani filio de terra in vico Teatino et Tocco quam habebat in casis, paediis, vineis et ceteris rebus a flumine Piscaria usque in rivum Arullum, et confinium Valve, dans ei proinde pretium de argento solidos centum.

Pelerinus siquidem illustris vir Pinnensis, audiens Abbatem Romanum pro possessionibus emendis pecuniam regiam largiter expendere, venit ad Casauriense Coenobium, tradiditque Domino Abbati per chartulam venditionis quicquid in villa nomine Salaiano videbatur habere, recipiens inde ab eo pretium in argento centum solidos.

Quod Casale cum aliis possessionibus, quae vocantur Ampullula, Salsula, Albenetulo, Celiffe, idem Pelerinus a Piscariensi Monasterio tenuit, Abbate Romano beneficii ordine sibi largiente subscripto et certo censu atque servitio, ut in ipsius scripti chartula legitur. Per idem tempus Allo quondam Castaldio, vir locuples in Pinnensi et Teatino Comitatu, cum uxore sua nomine Fredeldi, investivit Romanum Abbatem de duabus Curtibus, quarum una dicitur Viarium in Tocci pertinentia,

altera in Pinne, quae dicitur Ocretanum; propter quod idem Abbia dedit eis duos caballos optime paratos, quemadmodum in eiusdem investiturae chartula testibus roborata legitur.

Itaque dum haec taliter agerent, Dominus Imperator Ludovicus profectionem suam exequens Capuam applicuit, ibique pro totius Romani Imperii commoditatibus commorans, universisque fere tam Ecclesiasticis, quam secularibus potentibus viris congregatis, augustalem, atque solemnem Curiam celebravit, ubi de Piscariensi Monasterio praecipuum, ac principale verbum faciens coram omnibus Italiae Principibus, ipsum Monasterium perpetua libertate donavit. De qua libertate, et de rebus, et dignitatibus, secundum suae liberalitatis clementiam eidem collatis atque concessis, augustalis edicti paginam scribere fecit, et etiam propria manu subter insignivit, et sua Imperiali bulla iussit annotari, sicut in ipsius praecepti pagina reperiri potest, et legi. Quae vero pagina Monasterio porrecta, et habita, et eius exemplo in instrumentali volumine pro recordatione descripta sic est.

## PRIVILEGIUM PRIMUM

### *De cambio Insulae et constructione, seu libertate Coenobii Casauriensis.*

“ In nomine Domini nostri Iesu Christi Dei aeterni, Ludovicus divina ordinante providentia Imperator Augustus. Quicquid famulorum Christi usibus Deo inspirante largimur, illi profecto damus, a quo bonum omne suscepimus; Ideoque omnium Sanctae Dei Ecclesiae, nostrorumque fidelium, praesentium scilicet, ac futurorum, cognoscat unanimitas, eo quod divino amore afflati Monasterium nos servorum Christi habitationi et quieti proficuum in Insula, cui nomen est Casa aurea, quae etiam amne cingitur Piscariae, instituendum providimus, atque institutum stabiliri, atque perpetualiter confirmari huius nostrae liberalitatis pagina non incongruum fore perspeximus. Ac primo omnium aream ipsam in qua Clastrum venerabilis loci fabricandum censuimus a parte Pinnensis Episcopii iuste ac legaliter ex nostro proastio commutari fecimus. In qua Ecclesiam ab antiqua Beati Martyris Quirici constructam invenientes, alteram non longe ab ea Ecclesiam in honorem Sanctae et individuae Trinitatis aedificari praecepimus: Credens sine dubio nostrae pro hoc animae remptionem, Imperiique nostri continuatam protectionem, et adversariorum nostrorum efficacem contritionem, divinae, nobis respectu misericordiae praeparari.

Quamobrem per hos nostrae auctoritatis, apices confirmamus iterum, et perpetualiter stabilimus praefatam insulam, cum omnibus ex integro pertinentiis ipsius suprataxatae reverendae atque colendae Sanctae Trinitatis Ecclesiae, et his qui inibi ex hoc nunc et deinceps deservituri sunt famuli Christi, ut habeant, perfruantur, atque possideant universa, quae in ea comparatione, donatione vel commutatione legali nostrae parti acquisita sunt, vel quae extrinsecus ad eadem respiciunt, cum servis, et ancillis, chartulariis, comenditis, aldionibus, libellariis, et cunctis pertinentiis ipsorum, cum vineis, et terris cultis et incultis, sylvis atque falectis, planis et montuosis cum molendinis ac piscationibus, et omnibus circum circa meatibus aquarum, omni nostra pro heredumque illorum repetitione, vel qualibet publica exactione remota.

Et quoniam, ut praediximus, isdem sacer locus servorum Dei usibus nostrisque desideriis visus est aptissimus, idcirco ad regimen ipsius venerandum Presbyterum, Romanum nomine, probum moribus, et regularibus instrumentis tritum, Abbatem illustrissimum, quarens eius sollicitudini ac vigilantiae Christi Ovile commissum, universos qui ex mundi turbinibus ad se confugerint, tranquillissimam a mundi negotiis vitam, et ad aeternae Patriae pascua feliciter praeparare commoneat. Qua de causa tam ipsum et eos, qui cum eo sunt, quamque et illos qui inibi futuri sunt, cum omnibus quae nostra liberalitate vel aliorum fidelium Christi oblatione hucusque acquisierunt, aut in antea Deo propitio acquirere potuerunt, sub nostro mundburdo et Augustalis immunitatis nostrae defensione suscepimus: omni circa ipsos, et ea quae illorum sunt partis publicae deminoratione, invasione, vel qualibet inquietudine in perpetuum sopita. Ubi cumque, autem vel undecumque necesse habuerint tamquam pro domnicatis nostris, ita pro rebus eorum ac famillis a nostris executoribus inquisitionem fieri volumus. Praeterea cavendum observandumque iubemus, ne quisquam aliquo tempore ausu nefario quemlibet extraneum ad regimine ipsius sacrati loci superducere audeat, quin potius Dei servis inibi degentibus strenuum ex suo numero pari consensu Pastorem eligere liceat: quod qui irrumpens, et alium extrinsecus non Pastorem sed lupum subintrat, ac per hoc in tremendo iudicio paenam praeparasse certissime noverit. Praecipientes ergo omnimodis praecipimus et sub interminationem iubemus, ut nullus ex Praesulibus, Ducibus, Comitibus, Castaldionibus, vel quibuslibet partis publicae Officialibus, seu discurrentibus Missis nostris, aliquam suprataxato venerabili loco, vel eis qui ad ipsum pertinent molestiam: rebus, vel familiis inferre audeat sed liceat Dei servis inibi libere ac secure degentibus, pro nostri statu Imperii altissimum Dominum assiduis precibus implorare. Quod qui praesumperit et hanc nostrae auctoritatis evidentissimam praeceptionem vel in minimo violasse convictus fuerit immunitatis nostrae, mulctam triginta libras argenti probatae monetae publicae Sancto ac reverendo Coenobio componere compellatur. Et ut haec nostrae largitionis, confirmationis acque donationis, nec non etiam immunitatis atque defensionis Augustalis auctoritas firmior ac stabilior habeatur, et diligentius futuris temporibus observetur, manu propria subter insignitam ex bulla nostra eam iussimus annotari.

Signum Domni Ludovici Serenissimi Imperatoris Augusti.

Giselbertus Presbyter et Notarius ex iussu Imperiali scripsi et subscripsi.

Data septimo Calendas Iunias, Indictione sexta. Actum civitate Capua, anno Domni Ludovici Serenissimi Imperatoris Augusti vicesimo quarto in Dei nomine feliciter.”

Altero vero die Caesar Clementissimus in eodem Conventu positus, admittens petitionem Domni Romani Abbatis, sibi per Celsum sui Coenobii Praepositum atque legatum transmissam, subdidit Ecclesiam Sancti Mauri Martyris in colle Amernino constitutam, de qua idem Romanus in Piscariensem Abbatem assumptus fuerat, et libentissime contulit Casauriensi Monasterio. Indeque Imperialis praecepti paginam fieri iussit, in qua repetitis etiam quibusdam de his quae in hesterno praecepto continentur, ipsam sigillo et proprio signo roboravit, quae Monasterio porrecta et habita, et eius exemplo in instrumentali volumine pro recordatione descripta sic est.

## PRIVILEGIUM SECUNDUM.

*De Sancto Mauro de Amiterno.*

“ In nomine Domini nostri Iesu Christi Dei aeterni, Ludovicus divina providentia Imperator Augustus: Omnibus Sanctae Dei Ecclesiae nostrisque fidelibus praesentibus scilicet et futuris, cognitum fieri volumus, eo quod venerandus vir Romanus Monasterii Sanctae et Individuae Trinitatis, quod olim Deo inspirante construximus, Abbas nostram humiliter imploravit mansuetudinem per Celsum sui Coenobii Monachum atque legatum, ut Ecclesiam Beati Martyris Mauri in colle Amernino constitutam, cum omnibus quae ad ipsam respiciunt rebus mobilibus atque immobilibus seu utriusque sexus familiis, sub Monasterium Sanctae Trinitatis a nobis in insula, cui nomen est Casa aurea, constructum ob nostrae mercedis augmentationem subdere dignaremur. Nos vero dignam satis ratamque ipsius intuentes supplicationem, iuxta quod humiliter petierat libentissime annuimus, subdentes praedictam Beati Martyris Cellulam, cum his qui ibidem deserviunt devote famulis Christi, et universis quae possidere videntur circumcirca, vel longe positae ipsius sancti loci proprietatibus, cum servis et ancillis, et cunctis pertinentiis ipsorum, tam nostra, quam praedecessorum nostrorum liberalitate, seu etiam quorumlibet fidelium Christi donatione, oblatione vel qualibet coemptione aut commutatione acquisitis, nec non etiam universos commenditos, chartularios, vel libellarios ipsorum sub iure praedicti Coenobii Sanctae Trinitatis, atque dominatione ex hoc nunc et deinceps; quatinus huius nostrae auctoritatis tuitione protecti et perenni provisione sussulti, quicquid hucusque acquisierunt, quin antea Deo propitio acquisituri sunt, inconvulsae retinentes, quiete ac pacifice possidentes, altissimum iugiter Dominum pro nostri statu Imperii devotis precibus valeant exorare. Quin etiam ad maiorem nostrae mercedis cumulum volumus, et omnimodis iubemus ut ubicunque vel undecunque necesse habuerint, tamquam de domnicatis nostris, ita et pro ipsius sacri loci rebus vel familiis inquisitio fiat. Si quis autem ex Praesulibus, Ducibus, Comitibus, Castaldionibus, Sculdationibus, seu quibuslibet publicae partis officialibus, vel curialibus nec non etiam discurrentibus missis nostris, aliquam suprataxato venerabili loco molestiam vel inquietudinem, deminorationem, vel invasionem in rebus ipsius vel familiis intulerit, et hoc nostrae auctoritatis augustale munimentum vel in minimo violasse convictus fuerit immunitatis nostrae muctam, hoc est poenam triginta librarum argenti saepedicto sacratissimo loco componere compellatur. Et ut hoc certius credatur, et attentius observetur manu propria inscripta roboratum ac stabilitum ex annulo nostro subter iussimus insigniri.

Signum Domni Ludovici Serenissimi Imperatoris Augusti. Giselbertus Presbyter et Notarius ex iussu Imperiali scripsi, et subscripsi.

Data pridie Calendas iunias, Indictione sexta. Actum Civitate Capua, anno Imperii Domini Ludovici Serenissimi Augusti vicesimo quarto, in Dei nomine feliciter.”

Post haec Domno Ludovico Imperatore in rebus publicis augustaliter agente, et Domno Romano Abbate in emendis usquequaque possessionibus, ac aliis Piscariensis Monasterii profectibus laborante, factae sunt in diversis provinciis emptiones plurimae, videlicet facta est emptio de terris, vineis in cunctis rebus et substantia cuiusdam Mainerii, filii quondam Manfredi in suprascripta villa Bectorrita, dante inde ipso Abbate argentum solidorum triginta.

Item completa est venditio quam fecerat Allo Castaldio, et Fredelli uxor eius de Curte in vico, loco nomine Viario, cum Ecclesia Sancti Flaviani, et de alia Curte in Pinne, vocabulo Ocretano, cum Ecclesia, Sanctae Iuliae, et Sancti Florentii, cum omnibus ad easdem curtes pertinentibus datis inde a Romano Abbate in pretium trecentis solidis.

Per idem tempus venerunt duo nobiles viri, Maro videlicet filius quondam Luponis, et Rodelaso, filius quondam Rodi ad Piscariense Monasterium, et Domno Romano Abbate emente vendiderunt ipsi Monasterio quandam villam suam, nomine Laterno, in Comitatu Aprutino, habitaque possessio est aestimati mille centum modiorum in terris, vineis, et ceteris rebus substantiae ipsorum, unde receperunt in pretium ab eodem Abbate de argento nongentos quinquaginta solidos, sicut in chartis reperitur, et legitur.

Redeunte itaque Ludovico Imperatore de artibus Beneventi, decrevit illico ut suum Piscariense Monasterium, solemniter atque legaliter investiretur de cunctis rebus longe lateque acquisitis. Sed quoniam ipse non poterat ubique praesentialiter esse, constituit viros qui sui vice id peragerent. Unde Augusto praecipiente Grimbaldo Pinnensis Episcopus et Erifridus Basso, Imperatori confecerunt investituram de Curte Breliano, et omnibus rebus Amelfredi cum omnibus rebus eidem Curti pertinentibus Domno Celso Monaco Piscariensi ipsam investituram coram testibus recipiente. Gualbertus vero, et alii

Primates Augusti, praefatum Monacum investire per iussionem Domini Imperatoris de Curte, Sancti Sebastiani nomine, quae fuit quondam Camerotii, et de Curte eiusdem Ecardi, nomine Perano, et omnibus rebus proprietatis eorum in Comitatu Teatino: quae res proprietatis eorum poterant aestimari a flumine Piscaria usque ad flumen Trinium, inter mare Adriaticum, et Montem de Magelle; possessiones videlicet largissimae et magnae nimis, sicut chartulae tradunt testibus roboratae, et Monasterio cum eisdem possessionibus traditae simul et habitae.

Ordinavit praeterea gloriosus Imperator unum ex collateralibus suis virum splendidum et illustrem Haribaldum nomine, sacri Palatii Comitem, qui super causis et agendis Monasterii specialiter intenderet: Investituras rerum Imperiali vice faceret, necessaria Monasterio sicut propriae domui Imperatoris secundum voluntatem Abbatis provideret. Qui Comes eodem tempore ab Abbate Romano requisitus, celebravit Curiam in Casauriensi insula, Abbate querelante super quosdam viros, videlicet Liuterium de rebus Insuliano et Paterno, quas quidem Candolus et Romanus Cartulati, Allonis olim Castaldii, tunc eiusdem Coenobii Monachi tenuerunt, et super Garisusum notarium de rebus in vico Teatino. Causa quoque Gundi uxoris quondam Iustlonis, in eadem Curia ventilata est, unde sacri Palatii Iudices omnia rite determinantes, ipsas res parti Mostasterii legaliter addixerunt.

874

Igirur anno Dominicae Incarnationis DCCCLXXIV. Imperii Domni Ludovici Serenissimi Imperatoris Augusti XXIV. Indictione sexta, die quinta mensis Decembris, facta est Monasterio Piscariensi sollemnis atque legalis investitura de cunctis rebus et possessionibus, quas idem Imperator acquisierat per diversas Italiae Provincias; Heribaldo sacri Palatii Comite, per Ecclesiam et Casale Sancti Desiderii, Celsum Monachum et Matonem eius Advocatum feliciter investiente: sicut haec chartula declarat.

## INVESTITURA MONASTERII

*De cunctis rebus Augusti in diversis  
Provinciis Italiae.*

“ In Dei omnipotentis nomine, Breve investiturae recordationis: in praesentia videlicet Adelperti de Camerino, Hervici, et Erifrid Rainardi, Bassi Dominici seu Guidonis Castaldionis Pinnensis, et Ildegardi Castaldionis de vico Teatensi, seu Astaldi Castaldionis de Amiterno, Ainardi, et alius Adelperti, Gisolfi Teodemarii, Ilderici, Arnulfi, et Ariberti, Kamelfrid, Petri Luponis, Saleuguardi, Ferelai, vel de aliis pluribus. In istorum suprascriptorum Iudicum, et bonorum hominum praesentia, tradidit et investivit Heribaldus Comes Sacri Palatii Domini Ludovici Imperatoris, per ipsius iussionem, et per ipsius Domni Ludovici demandatum, ipsam curtem de Sancto Desiderio de Pinne cum ipsa Ecclesia Sancti Desiderii per ipsas funes de ipsi Campanis; et ipsam Curtem de Linati cum pertinentia sua, in manus Gelsii Presbyteri et Monachi, et Maionis Advocati de Monasterio Sanctae Trinitatis, quod aedificatum est intra insulam de Piscaria loco, ubi dicitur Casauria ad partem dicti Monasterii, et Romani Abbatis, ipsam dictam Curtem Desiderii, quam per chartam habuit Domina Hermengarda, genitrix ipsius Domni Ludovici de quodam Liutardo Diacono de finibus Pinnensis, non solum autem ipsam Curtem, sed et omnem proprietatem, et quicquid eidem Domno Ludovico ex iure Patris, vel Matris pertinebat, vel quod ipse Domnus Ludovicus Imperator ipso die conquisitum habebat in iure proprietatis, vel quod in antea Deo propitio conquirere posset in diversis provinciis, videlicet in Romania, in Spoleti atque in Comitatu Teatense, Pinnense, Firmano, nec non et in Camerino, et in Tussia, et in Longobarbia, atque in Samnia, vel in totis finibus Italiae, ipse praefatus Heribaldus Sacri Palatii Comes in praesentia supradictorum testium tradidit et investivit Celsum Presbyterum et Monachum ipsius Monasterii, cum Maione Advocato suo, cum omnibus quicquid in supradictis locis pertinere videntur, cum mobile et immobile in integrum, cum casis, terris, et vineis, campis, sylvis, pascuis, pomis, olivetis et ficariis, piscationibus, aquis et decursibus aquarum, salectis et molendinis, atque cannetis, ut dictum est, cultum, vel incultum, cum mobilibus et immobilibus, servis et ancillis, chartulatis et additionibus, libellariis et commendatis in dictis partibus, scilicet per diversa loca, in Spoletinis, Balba, Reate, Marsi, Furcone, atque Amiterno et Spoleti, Nursia, nec non et Cicoli, Turre inter Ocrum, Noberim, Narnate Asculum, Aprutiumque simul, et Terame, Ascicum, Fulgineas, Nucerie, Camerinum, Firmo, Teate, Picenum, simul et Tuscia, Italiamque, ut diximus: Quicquid ipso die in his totis finibus ex iure parentum habere visus sum, vel quod ipse acquisitum habebat ipsa die, atque quod in antea conquirere posset; ipse iam dictus Heribaldus Sacri Palatii Comes investivit et tradidit Celso Presbytero et Maioni Advocato, ad partem dicti Monasterii Sanctae Trinitatis, et Romani Abbatis, in praesentiam dictorum iudicum.

Cum ergo nos dicti iudices et fideles Domni Imperatoris vidissemus, quod dictus Heribaldus Missus et Comes Sacri Palatii ipsam dictam curtem Sancti Desiderii cum omnibus quae supra leguntur, traderet et investiret Celsum Presbyterum et Monachum, et Maionem Advocatum pro redemptione animae Domni Ludovici Serenissimi Augusti, ad partem dicti Monasterii Sanctae Trinitatis, et Romani venerabilis Abbatis, in infusa Piscariensi, loco ubi dicitur Casauriensis, hoc breve memoratorium firmationis atque recordationis investiturae ex dictato et de mandato nostro, Audoaldum Notarium scribere demandavimus. Actum in Pinne ad Sanctum Desiderium, in anno Imperii Domni Ludovici vicesimo quarto die quinto mense Decembris, per Indictionem septimam feliciter. Ego Erifredus ibi fui: Ego Guido Castaldio ibi fui: Signum manus

Adegari Castaldionis ibi fui: ego David Diaconus ibi fui. Signum manus Astaldi Castaldionis ibi fui: Signum manus Ferelai qui ibi fui: Signum manus Salevardi ibi fui: Signum manus Ingelmanni ibi fui.”

Altera quoque investitura sacra est die sequenti Monasterio Piscariensi ab eodem Heribaldo Sacri Palatii Comite, Domno Ludovico Augusto mandante, in manus Celsi Presbyteri et Monachi, et Maionis eiusdem Monasterii Advocati, de omni videlicet dotalicio supradictae Gundi uxoris quondam Iustonis: de curte videlicet de Monactiano, et Ecclesia Sanctae Mariae, et de Casalibus nomine Pecanie et Bucanie, tam in territorio Aprutiensi, quam in Pinnensi.

Est profecto quaedam villa vocata Superclo, in Sancti Valentini Castello translata, quam a Tederamo et Palumbo germanis filiis quondam Reparati legaliter ad profectum Piscariensis Ecclesiae triginta solidis emit. A Gualdeberto cuiusdam veneteris filio emit omnes res, et substantias suas in vico Teatino, nomine Viario, in casis, terris et vineis, indeque dedit ei solidos quadraginta. Emit etiam Villam nomine Fullonice, ubi est Ecclesia vocabulo de Sancto Marco, a quibusdam viris Ainardo et Petro cum omnibus rebus et substantis eorum, dedit inde pretium in argento quadraginta quinque.

Cum igitur victoriosissimus Imperator Ludovicus ad propria reverteretur, et iam urbem Ravennam applicuisset, condidit ibidem Augustale confirmationis praeceptum, de aliquantis rebus Piscariensi Monasterio collatis, videlicet de Sancto Desiderio ab eius genitrice, ut supra scriptum est, acquisito: quod in hoc libro descriptum sic est.

### PRIVILEGIUM TERTIUM

*De Sancto Desiderio, et aliis rebus Coenobio  
Casauriensi ab Augusto donatis.*

“ In nomine Domini nostri Iesu Christi Dei aeterni Ludovicus divina ordinante providentia Imperator Augustus, omnibus Fidelibus Sanctae Dei Ecclesiae cunctis, praesentibus et futuris, cognitum esse volumus, quia divinitus inspiratus, aliquantulas res concedimus in Monasterio Sanctae Trinitatis, quod aedificari iussimus in honore Sanctae et Individuae Trinitatis, videlicet res, quas bonae memoriae Hirringarda genitrix nostra per chartulam a quibusdam fratribus Liutardo Diacono et Conrado germanis, consentiente Liuprando genitore eorum, conquisierat in singulis locis videlicet Sanctum Desiderium Brilianum atque Lignari cum omnibus pertinentiis, servis, et ancillis cartulatis cum mobilibus et immobilibus, dedimus et res quorundam hominum infidelium nostrorum Ursonis Castaldii, atque Hitteri, similiter cum servis et ancillis, cartulatis cum mobilibus et immobilibus, ubicumque de omnibus illorum rebus adinventum fuerit. Pari etiam modo donamus res Camarocii cum servis similiter et ancillis cum cartulatis, cum mobilibus et immobilibus. Nihilominus et donamus res Teobberti, qui ob nostram infidelitatem Beneventum fugam petiit; simulque donamus res Corvini, et res, quas Eccardus Alamannus nobis per chartulam delegavit. Nec non etiam et res quae fuerunt Gundi uxoris Iustoni, idest Curte de Monactiano, et cuncta portione eius, quam a viro suo Iustone in dote acceperat. Quae Gundi post velamen religionis in adulterio cupulata in placitum ante Iudices Sacri Palatii nostri legaliter devicta est. Omnia autem hac praecipimus, ut si intentio exorta fuerit a publicis ministris tanquam de domnicatis nostris per inquisitionem exigantur. Pro nulla denique mallatura quispiam a Monachis de praefato Monasterio, vel ab Advocato eorum, totum quaerere audeat, quia ob reverentiam Sanctae Trinitatis eidem Monasterio concessimus. Concedimus etiam in venerando loco, ut omnem compositionem de cartulatis atque libellariis de ipso Monasterio sibimet haecant, et nullus exactor publicus hoc inquirere audeat, sed in quacumque compositione ceciderint in sua potestate, hoc habeant, cuius cartulati esse videntur; si quis autem ex Praesulibus, Ducibus, Comitibus, Castaldionibus, Sculdasionibus, seu quibuslibet publicae partis Officialibus, nec non etiam discurrantibus Missis nostris, supra taxato venerabili loco molestiam vel inquietudinem intulerit, et hoc nostrae auctoritatis, augustale munimentum vel in minimo violasse convictus fuerit, immunitatis nostrae mulctam, hoc est poenam triginta librarum argenti sacratissimo loco componere corripellatur. Et ut hoc certius credatur, et attentius observetur manus propriae inscriptione roboratum ac stabilitum ex annulo nostro subter iussimus insigniri.

Signum manus Domni Ludovici Serenissimi Imperatoris.

Giselbertus Presbyter et Notarius ex iussu Imperatoris scripsi.

Data tertia Calendas Maias Indictione septima.

Actum foris Civitate Ravenna ad Sanctum Apollinarem, Anno Imperii Domni Ludovici Serenissimi Imperatoris vicesimo quinto.”

Per idem tempus licet Imperator ad propria reverteretur, non tamen Romanus Abbas cessabat possessiones acquirere, imo sicut fidelissimus dispensator, de regali pecunia sibi credita continuatim villas et praedia largiter emebat, et in suae Casauriensis Ecclesiae profectum quotidie cumulabit.

Remeans itaque Domnus Ludovicus Imperator ad solum proprium adit Curtem Imperialem, quae dicitur Olonna; ibique morans infra sexaginta dies edidit ad tuitionem Monasterii Piscariensis tria principalia sacrae institutionis privilegia, devotione plena, et omni auctoritate perpetuae libertatis, et regiae protectionis astipulata. In quorum uno specialiter notatur, de fundatione et consumatione ipsius sacrosanti Templi; de corpore namque Beati Clementis ab eodem ibidem venerabiliter recondito; de largitione rerum, quas per totam Tusciam acquisivit, et ipsi Sancto Martyri perpetualiter porrexit, videlicet

sedecim Curtes. Quae Curtes et res in quibus locis, et a quibus hominibus, et qualiter ab eodem serenissimo Augusto fuerint conquisitae ipsa sacrosancta praeceptalis pagina manifeste declarat.

### **PRIVILEGIUM QUARTUM.**

#### *De rebus Tuscae, et aliarum Provinciarum*

“ In nomine Domini nostri Iesu Christi Dei aeterni, Ludovicus divina ordinante providentia Imperator Augustus, cunctis sanum sapientibus liquet, quia quo magis cultibus divinis insistimus, eo amplius supernae Maiestati reconciliamur. Proinde universorum Sanctae Dei Ecelesiae, nostrorumque fidelium, praesentium scilicet ac futurorum, agnoscat unanimitas, quia nos Divino afflato instinctu, ad honorem et reverentiam tremendae, ac individuae Trinitatis Sacrosanctum Templum in insula, quae Casa-aurea vocitatur, fundari et consummari hilari mente praecepimus, ubi et almificum Beatissimi Pontificis et Martyris Clementis Corpus venerabiliter recondi fecimus, atque in eodem situ famulorum Dei Coenobium perpetuis temporibus permanendum augustaliter atque liberaliter instituimus, quatenus coadunato illic sub regulari norma Religiosorum virorum coetu, altissimo Deo laudes iugiter inibi votaue resultent. Qua de causa ad maiorem mercedis nostrae cumulum, ac loci ipsius necessarium supplementum, Servorumque Christi in ipso degentium, seu illuc undecunque adventantium, perenne subsidium, contulimus in iam dicto Sanctae Trinitatis Coenobio omnes res nostras, quas conquisivimus per totam Tusciam a quibusdam hominum: hi sunt Farimundus Diaconus et Capellanus, simulque Farao et Farulfus filii quondam Farulfi, videlicet Curtem in fundo Hisiano, et aliam Curtem in fundo Palmae, una cum omnibus ad suprascriptam Curtem pertinentibus; et quod ipsius Farimundi in parte evenit a suis fratribus, hoc est quinta portione de Curte in fundo Pao, et Curtem in fundo Pantanola, et Curtem in fundo Venetia, et Curtem infra Civitarem Tuscanam, cum omnibus ad suprascriptam quintam portionem pertinentibus. Donamus et Curtem nostram in Suberella cum omni pertinentia vel adiacenta sua, cum servis et ancillis, cartulariis, aldionibus, libellariis, mobilibus et immobilibus sicut ad nostram tenuimus manum totum in integrum. Similiter donamus ipsas res, quas Walbertus Episcopus nobis per Chartulam delegavit in territorio Tuscanense, hoc est Curtem in fundo Cassiano, et Curtem in Orta cum servis et ancillis, cum mobilibus et immobilibus, cum omni pertinentia eorum. Pari etiam modo donamus Casas Massaritias numero decem quas Asprandus filius quondam Asprandi nobis per Chartulam delegavit, quae sunt positae in finibus Castro Tuscana, omnia ad suprascriptas Massaritias pertinentes: seu et res in finibus Piscariensis, quas Guillelmus nobis per Chartulam delegavit, cum omnibus ad easdem res pertinentibus, verum etiam donamus et omnes res, quas nunc habemus in Castro Felicitatis, et Curtem nostram in Sancto Cerbonio, et Curtem nostram in fundo Carpena, et Moliano; nec non et donamus curtem nostram in fundo Gorgiano, qui vocatur ad Sanctum Heliam in finibus Apruriensis, similiter cum servis et ancillis, cum mobilibus et immobilibus, omnia sicut ad nostram tenuimus manum. Quae autem Curtes, et res superius nominatae, seu quocunque contractu iuste ac legaliter in nostrum ius dominiumque transfusae sunt, omnes dumtaxat iuris nostri per denominata loca Curtes cum servis et ancillis, atque aldionibus et omnibus, quae in his inventae fuerint rebus, ac cunctis appendiciis earum, iam dicto Suquestratus pars illius sit in stagno ignis ardentis et sulphuris. Sed ut haec nostrae liberalitatis, ac piae largitionis, seu praefixae institutionis pagina perpetuum obtinere valeat robur, manus eam nostrae

annotatione solemniter insignivimus, nostraeque bullae impressione subter confirmari iussimus.



simi Imperatoris. Giselbertus Presbyter et Notarius ex iussu Imperatoris scripsi et subscripsi.

Data Calendis Septembris, Indictione octava, Actum Olonna in Curte Imperiali, anno Imperii Domni Ludovici Serenissimi Imperatoris vicesimo quinto, Deo propitio feliciter.”

In altero quoque Privilegio repetit de Monasterii constructione, et Beati Clementis almisici Corporis Translatione. Deinde pernotantur ibi omnis Italiae provinciae, in quibus possessiones et omnes res ab eo sunt acquisitae, et Piscariensi Monasterio collatae. Hinc etiam praecipue describit de Missis, et Psalmo centesimo vicesimo in diurnis et nocturnis Officiis et de matutinalibus et vespertinalibus hymnis pro eius anima perpetim decantandis.

#### IN HOC QUINTO PRIVILEGIO.

Libertatis mandat Imperator qualiter oretur pro eo .

“ In nomine Domini nostri Iesu Christi Dei aeterni, Ludovicus divina ordinante providentia Imperator Augustus . Cunctis sanum, et cetera, ut in superiori.

Qua de causa ad maiorem nostrae mercedis cumulum, ac loci ipsius necessarium supplementum, Christique servorum in ipso degentium, seu illuc undecumque adventantium perenne subsidium, universas nostrae proprietatis res, quae sive infra Romanam Urbem, sive extra ipsam, seu etiam per totam Pentapolim, Tusciam, et Spoletinum Ducatum, atque Camerinum Comitatum, nec non etiam Firminum, Ascolinum, Aprutinum, Penninum, seu Teatinum territorium quocumque contractu iuste ac legaliter in nostrum ius dominiumque transfusae sunt. Omnes duntaxat iuris nostri per denominata loca Curtes cum servis et ancillis, atque aldionibus, et omnibus, quae in eis inventae fuerint rebus, mobilibus et immobilibus, cum universis casis, massariciis, et aldionariciis, ac cunctis appendiciis earum, iam dicto summae Trinitatis venerabili Coenobio

praentialiter solemniterque largimur, et per huius nostri praecepti Imperialem auctoritatem irrefragabiliter stabilimus, ut ha-



turque iure quieto ac pacifico ab hodierno die ac deinceps, tam hi qui praesentes sunt, quamque et illi, qui venturi sunt



isti, omni nostra proheredumque ac successorum nostrorum repetitione, molestatione, vel qualibet publica exactitione remota.



omnibus diurnis ac nocturnis officiis centesimum vigesimum decantare non desinant psalmum, exceptis duntaxat vespertinalibus et matutinalibus hymnis, quos perpetim pro nostrae remedio animae repetere iugiter non cessabunt. Cunctis igitur, et cetera ut supra.

Signum manus Domni Ludovici Serenissimi Imperatoris.

Giselbertus Presbyter et Notarius scripsi et subscripsi.



opitio feliciter Amen”.

In ultimo sane privilegio tangit de se quod in Beneventano itinere posito devenit in Piscariam, et Casauriensem



ibique Sanctae Trinitatis construxit Basilicam, in qua Clementis collocavit glebam, atque Monachorum ibidem coadunavit turmam . Deinde repetit de largitione omnium rerum quas in totius Italiae provinciis ad ipsius Monasterii supplementum et Monachorum perenne subsidium acquisierat.

#### PRIVILEGIUM

De libertate et confirmatione omnium rerum  
Coenobii Sancti Clementis.

“ In nomine Domini nostri Iesu Christi Dei aeterni, Ludovicus divina ordinante providentia Imperator Augustus. Universorum Sanctae Dei Ecclesiae fidelium tam praesentium videlicet quam et futurorum comperiat solertia, quia cum omnipotentis iuvamine freti, Beneventum progredieremur, in ipso positi itinere devenimus ad Piscariam, ubi quandam invenimus insulam undique aquis cinctam, quam divina inspiratione circumeuntes, et ex omni considerantes parte perspeximus ipsam usibus esse Monachorum aptam temporibus profuturis; qua de re Dei Omnipotentis inspiratione tacti, iussimus inibi aedificari Basilicam in honore Sanctae et Individuae Trinitatis, ubi etiam collocare fecimus corpus Beati

Clementis Martyris et Potificis Christi, ubi etiam ad cumulum mercedis nostrae coadunavimus coetum Monachorum inibi



et Individuae Trinitatis, nostraeque pariter animae remedio, ne aliquando paterentur egestatem contulimus omnes res nostras, quas iusto ac legali tenore acquisivimus tam infra urbem Romam, quam extra ipsam Romuleam urbem; per totam



t omnes res memoratae in dominium, et dispositionem nostram consistant; post nostrum discessum redeant et locus, et res



o scilicet ordine, ut absque ullius controversa regulariter sub norma Sancti Benedicti degant, sanctaeque et Individuae Trinitati deserviant, et pro nobis misericordiam ipsius exorent, ante omnia, et super omnia commonentes et praecipientes,

ut nullus eos nec intus nec foris eorum pertinentia a nobis iste possessa et eis concessa, laedere aut inquietare praesumat, sed



tem ordinent atque disponant. Concedimus eis et monimina per quae nominatae res nobis delegatae sunt, et quotiescunque ille qui praeest Abbas obierit, habeant licentiam ex sua propria congregatione secundum Dei voluntatem eligendi Abbatem.

Consideravimus et alterum locum vocabulo Moninellum, usibus similiter Monachorum aptum distantem ferme duobus millibus ab urbe Mantovana, ubi divina praeunte gratia decertavimus construere Basilicam in honore gloriosissimae Resurrectionis seu Ascensionis Domini nostri Iesu Christi. Nihilominus Deo famulandum coadunare iussimus inibi coetum Monachorum die noctuque supernae Maiestati famulantium, et ut nullam in serviendo patiantur egestatem pro Dei omnipotentis amore nostraeque animae remedio, contulimus eis omnes res nostras quas iuste ac legali tenore acquisivimus in inferiori Italia. Quae duo suprataxata Monasteria pro Dei omnipotentis amore a nobis provisa, et in eius honore constructa, statuimus atque praecepimus ut sine alicuius controversia aut inquietudine sempiternaliter permaneant stabilia sub Dei omnipotentis gubernatione ad vota ipsius die noctuque persolvenda. Si quis vero, quod minime credimus, ipsa sua loca, eorumque pertinentia, seu servos Dei inibi supernae famulantes Maiestati, laedere, aut inquietare, seu ex collatis a nobis minuere, vel auferre praesumpserit, duplum eis restituat. Insuper componat pro praesumptione sua auri probatissimi libras duodecim. Si quis vero nostrorum successorum divino instinctu praefatis locis aliquid addere vel augere voluerit, satis desideramus atque inhiante exoptamus, sin autem unicuique eorum, qui per tempora fuerit nostrorum successorum interdicimus, et sub divina contestamur invocatione, ut ex his quae praefatis contulimus locis, nihil minuere vel auferre moliat. Quod si fecerit, sciat se incursum iram Sanctae et Individuae Trinitatis, ita ut ad sortem Beatissimae Resurrectionis et Ascensionis Domini nostri Iesu Christi nullatenus pervenire valeat, sed cum Iuda proditore sortem aeternae damnationis perenniter possideat. Et ut haec nostra largitio atque concessio plenior in Dei nomine obtineat

vigorem, manu propria subter eam firmavimus, et bullis nostris roborari praecepimus.



manus Domni Ludovici Serenissimi Imperatoris.

Giselbertus Presbyter et Notarius ex iussu Imperiali scripsi et subscripsi.

Data Calendis Novembris, Indictione octava. Actum in Curte Imperiali Olonna, anno Imperii suprataxati Domni Ludovici Imperatoris vicesimo quinto, in Dei nomine feliciter”

In ipsarum profecto trium praeceptalium paginarum sacris apicibus fiunt augustales et perpetuae constitutiones de tutelis et libertatibus Monasterii, et eius multimoda quiete, et de ceteris honorum et sublimitatum excellentiis eidem singulariter attributis: addidit etiam ibidem de altero Sanctae Resurrectionis Monasterio apud Mantuam constructo.

875.

Facta sunt equidem haec tria suprataxata Imperialia privilegia Dominicae Incarnationis anno octingentesimo septuagesimo quinto, Indictione octava.

In editione Ugbelliana legitur aliud Diploma

Ludovici II spectans ad hunc annum,

illudque hic iterum exhibemus, ne quid lectori deriderandum supersit.

Ludovici II Imperatoris Augusti Privilegium

fundationis, et dotationis Monasterii

Sancti Clementis in Piscaria anno

Domini DCCCLXXV.

“ In nomine Domini Nostri Iesu Christi Dei, et cetera. Ludovicus divina ordinante providentia Imperator Augustus cunctis summis sapientibus liquet, et cetera, magis cultibus divinis instituimus eo amplius supernae Maiestati, et cetera. Proinde universorum sanctae aeternae Ecclesiae, nostrorumque fidelium praesentium scilicet, ac futurorum agnoscat humanitas, quia Nos divino afflati instinctu ad honorem, et reverentiam tremendae, ac Individuae Trinitatis Sacrosanctum Templum in Insula, quae Casa aurea vocitatur, fundati ac confirmari hilari mente praecipimus; et cetera. Et almificum Beatissimi Pontificis, et Mar tyris Clementis Corpus venerabiliter recondi fecimus, quod quidem Sacrosanctum tem

plum, Monasterium Sancti Clementis in Piscaria in antea vocitari praecipimus. Ad et cetera



iter inibi, votaue resultent. Qua de causa ad maiorem nostrae mercedis cumulum, ac loci ipsius necessarium



ndecunque advenientium perenne subsidium, Castella, et res infrascriptas cum possessionibus, et iuribus, Vassallis, Vassallorum redditibus, requisitionibus, molendinis, aquarum decursibus, piscationibus, valcatoriis, silvis, rupibus,



et locis pro ipsorum Religiosorum virorum arbitrio construendis, et ordinandis iam dicto Venerabili summae Trinitatis



tello: Acculae superdi, Manupellum, Turri, Fullonicae, Fara ambriliae, Insulam, et Castellum ipsius Insulae. In Penne, et cetera Uliculam, Pesculum, Rocca de Soti, Corvariam, Petram iniquam, et cetera. Alandum cum Casalibus suis, Casale Sancti Desiderii. In Civitate Sancti Angeli, Castellum Sancti Mori cum Portu. In Comitatu Aprutino, Castrum guardiae, Castellum Ventulum Monascum, Castrum Sancti Georgii, in Marchia Castrum Lori, Castrum Caldarole, Castrum Vestiman. Montem oberannum, Rocellum, Bricciam, Sanctum Viacentium, Sanctum Angelum ad Sabaram cum omnibus Ecclesiis praedictorum Castellorum, et locorum. Et per huiusmodi nostri praecepti Imperialem auctoritatem irrefragabiliter stabilimus ut habeant ea, et possideant, fruanturque iure quieto, ac pacifico ab hodierno die, ac deinceps, tam qui praesentes sunt, quamque illi, qui venturi sunt famuli Christi, omnium nostrum, heredumque, et successorum nostrorum repetitione, moleslatione, vel qualibet publica ex auctoritate, seu et cetera remota, ita quod nec praedicti viri Religiosi, nec ipsorum vassalli nobis in aliquo alio teneantur, nisi quod praenominati Sacri Coenobii, et cetera Religiosi tres quotidie pro Nobis Missas, et omnibus nocturnis, et cetera. Centesimum vigesimum decantare non desinant Salmum exceptis dumtaxat vespertinalibus, et matutinalibus hymnis, quae in perpetuum pro nostrae remedio animae repetere iugiter non cessabunt. Cunctis igitur tam praesentibus, quam et futuris cognitum sit suprataxatum Coenobium, habitatoresque ipsius cum universis, et cetera. Castellis, rebus, et Vassallis ipsius sub nostri, et cetera continua tuitione a Nobis iamdudum etiam recepimus. In tantum ut omne ipsius tanquam peculiarissime domna, et cetera pro amore superno quoadusque spiramus exequi modis omnibus decrevimus: post nostrum vero ex hac vita discessum illi soli eiusdem Venerabilis loci tutelam committimus, et cetera cuius honorificentiam nostri studio constat exercitus. Quapropter cunctos, qui Nobis in Imperium pro tempore successuri sunt, Imperatores, Reges, Duces, ac Principes quoque Locorum et cetera supradictorum ac Iudices per ipsam Trinam, et Unam Maiestatem distincte obtestamur, et terribiliter abiuramus, ut praenominatum Sacratissimum colendae Trinitatis et cetera pium iuxta huius nostri praecepti tenorem rarum, ac stabilitum ut semel ordinavimus esse permittant, nullam violentiam, diminutionem, vel subtractionem, seu invasionem, vel molestiam neque etiam quamlibet functionem eidem venerabili loco, rebus, seu vassallis eiusdem quocumque in tempore inferre praesumant. Et si forte reclamaverint, ad quemcunque eorum querela pervenerit, pro Dei summi amore omnem illis iustiam adimplere non differant. Si quis autem huiusmodi nostrae institutionis, et quod magis est, divinae promulgationis sacrilegus contemtor et temerarius violator extiterit, sciat se in tremendo iusti iudicis examine causam Nobiscum dicturum, ac per hoc cum Iuda proditore ab Apostolico examine cum impiis, ac sacrilegis sequestratus sit in stagno ignis ardenti, et sulphuris. Et ut haec nostrae liberalitatis, ac piae largitionis, seu praefixae institutionis nostrae pagina perpetuum obtinere valeat robur, eam nostrae manus adnotatione solemniter insignivimus, nostraeque Bullae plumbeae impressione subter confirmari iussimus.

Signum manus Domini Ludovici Serenissimi Imperatoris. Etulbertus Presbyter, et Notarius scripsi, et subscripsi. Datum tertio Idus Octobris, Indictione octava. Actum Olonna Curte Imperiali anno Imperii Domini Ludovici Sanctissimi Imperatoris vigesimo quinto, Deo propitio feliciter, Amen. Anno Dominicæ Incarnationis DCCCLXXV. Indictione VIII. 876.

Praeterea Dominicæ Incarnationis anno octingentesimo septuagesimo sexto Dominus Romanus Pater venerandus, emptionibus a quodam Rimefredo acquisivit in Ragiano superscripta villa, terras, et vineas, et omnes res, et substantiam eius.

Eodem itidem anno venit Mauricius Castaldio iubente Domno Ludovico Imperatore, et mense ianuario, vigesima secunda die mensis, investivit solemniter Domnum Romanum Abbatem de omnibus rebus mobilibus, et immobilibus Sisenandi Salegi, tam in Tete, quam in Pinne. Primo videlicet de Curte Ambrilia quae postea farum Ambrilie vocabulum accepit, et de Curte de Neriano, et Martiano, et Obetiano, et Sclavis. Quae possessio terminatur a flumine Piscariensi usque ad flumen Trinitanum, et usque ad Furcas, et montem de Cannatino, et rivum de Cigno, sicut tradidit chartula ipsius investiturae pluribus et idoneis testibus roborata.

Eo tempore Rimo, filius quondam Aderissi, de genere Alemannorum, obtulit filium suum nomine Leonem Monasterio Sancti Clementis suscepturum vitam Monasticam tradiditque. Romano Primo Abbati ad partem eiusdem Coenobii omnes res et substantiam suam, quam in villa de Ragiano possidebat, videlicet possessiones largissimas. Altercationem insuper habuit Romanus Abbas cum Ildebrando Franco, Garifusi filio, de Curte Perano vocabulo, et omnibus rebus quae fuerunt Camarotii, et Aldegontii, et Agisendae coniugis eiusdem Camarotii, verum in ipsis diebus apud civitatem

Teatinam, cui Theodericus Venerabilis Episcopus praesidebat, a quodam viro nomine Fratello, Supponis Comicis Vicario,



res et Curtern de Perano, quae ultra flumen est de Sangro, perobtinet.

Defuncto itaque piaae semperque celebrandae memoria Ludovico Augusto, testamento post eum Censobrinus eius

Carlomannus Rex, Ludovici Regis filius, regnum Italicum obtinuit. Quo audito Romanus Abbas deposito ingenti fletu aque



nstructoris, statim direxit ad eum Domnum Celsum Praepositum cum augustalibus praeceptis, ut omne bonum, quod de Piscariense Monasterio antecessor eius ipsae beatae recordationis Ludovicus Imperator effecerat, ipse Rex ratum haberet, et omnimodo confirmaret, suoque novo regio praecepto corroboraret. Illo autem abeunte Romanus Abbas interim regimini ac profectibus sui Coenobii validius insistebat. Vir potens et locuples suprascriptus Rimo largitus est pro anima sua domos, agros, vineas, et omnia quae habebat de Casale suprascripto Bectorrita, Monasterio Piscariensi, indeque duos de fratribus, videlicet Dominum Beatum, et fratrem Leonem ipsius Rimonis filium, solemniter investivit, et in tenimine posuit coram testibus.

Eodem tempore Carlomanno piissimo Imperatore mandante, iubentibus etiam Lamberto et Widone Comitibus, venit



pus una cum Anserio et Adelberto atque Arterio Castaldionibus, et investierunt Domnum Romanum primum Piscariensi Abbatem apud Sanctum Desiderium, ubi propterea convenerant per ipsam Curtem de villis, Castellis, et omnibus praediis et rebus per totam Italiam acquisitis, et Piscariensi Monasterio collatis, et de libertate, et omnium dignitatum excellentiis, sicut ei a quondam beatae memoriae Ludovico glorioso Imperatore per praeceptalia scripta fuerunt concessa.

Facta nimirum est haec investitura in manibus Romani primi Abbatis, ad profectum et corroborationem Sanctae Casauriensis Ecclesiae, anno ab Incarnatione Domini octingesimo septuagesimo sexto, Indictione nona, praedicto Carolo

imperante anno primo mense Iunio feliciter.”



eptus, et in petitionibus et negotiis Monasterii Piscariensis alacriter est exauditus, accepitque ab eo sacrum praeceptum confirmationis, et tuitionis omnium rerum, et dignitatum, quas Casariense Coenobium a Domino Ludovico suo Fundatore per praeceptales paginas habebat, addiditque ei gualdum Corni cum ceteris rebus eidem pertinentibus, sicut in eodem sacro praecepto continetur.

#### PRAECEPTUM

Carlomanni Regis de libertate Monasterii  
Piscariensis, et confirmatione omnium rerum  
et dignitatum eius, sicut habuit  
a Ludovico Augusto.

“ In nomine Sanctae et Individuae Trinitatis, Carlomannus Divina favente gratia Rex. Omnium videlicet Sanctae Dei Ecclesiae Fidelium nostrorumque tam praesentium quam et futurorum cognoscat industria: quia cum gratia auxiliante

Divina regnum Italicum obtinimus, primum, Deoque duce Papiam venimus Civitatem, adiit serenitatem nostram quidam



cessor ac Consobrinus noster Ludovicus Imperator Augustus a fundamentis in honore Sanctae et Individuae Trinitatis costruxit, afferens quoddam, praeceptum, in quo continebatur qualiter praefatus Imperator pro amore ipsius Sanctae et Individuae Trinitatis, nec non et pro remedio animae suae, omnes res suas, quas iusto, ac legali tenore acquisivit, tam infra Urbem Romam, quam extra ipsam Romuleam urbem, per totam scilicet Campaniam, et etiam per omnem Romaniam, nec

non et ambos Spoletanos Ducatus, seu per totam Tusciam, ad praenominatum Monasterium contulit. Ea videlicet ratione, ut



s ibidem regulariter viventibus easdem res tam interius, quam exterius perpetualiter sine aliqua inquietudine possidere. Et si Abbas eiusdem Monasterii obisset, ex propria Congregatione Abbatem sibi eligere licentiam haberent, et ut id Monasterium



immunitate ac tuitione Imperiali persisteret.

Haec nos cognoscentes decrevimus per hoc praesens praeceptum nostrae mansuetudinis omnia praefata ira ut scripta sunt confirmare. Volumusque, atque omnimodis praecepimus, ut Abbas eiusdem praedicti Monasterii semper cum omnibus illuc

pertinetibus sub nostra Regali immunitate ac defensione maneat. Et omnes praenominatas res, idest, sive infra urbem



liter purestatem habeant. Insuper ergo placuit nostae serenitati ad id praedictu in Monasterium quendam gualdum prope ibidem situm, nomine Cornie, tradere, cum servis et molendinis de Balneolo ad id gualdum pertinentibus, habitantisque in Villa, quae dicitur Alanne, cum aquis, pascuis pratis ad id gualdum pertinentibus. Ea videlicet ratione ut haec omnia ob amorem Domini nostri Iesu Christi et pro remedio animarum nostrarum, idest, Ludovici praefati Imperatoris ac Consobrini, qui nobis regnum istud disposuerat: nec non et piissimi Genitoris nostri Ludovici Regis, ac Patruis nostri Caroli, nostraeque, qui hanc fecimus traditionem ad id Monasterium sine ulla inquietudine, perpetuis temporibus pertineant quatenus Abbas et Monachi eiusdem, loci easdem res habeant atque possideant, et iuxta id quod opus eis fit ad servicium Dei potenter disponant, vitatmque iugiter Regularem ducant, nullo unquam successore nostro hoc irrumpente: Sed liceat eis quiete vivere, et pro nobis ac pro nostris antecessoribus semper ipsam exorare Sanctam Trinitatem, in cuius honore haec ipsa eorum Ecclesia constat esse dicata. Et ut hae auctoritas nostrae confirmationis atque donationis firmiorem in Dei

nomine habeat tenorem, annuli nostri impressione iussimus sigillari, et manu propria nostra subtus confirmavimus. Si quis



tinencia, seu servos Dei inibi supernae famulantes Maiestati laedere, aut inquietare, seu ex collatis minuere, vel auferre praesumpserit, duplum eis restituat, insuper componat pro praesumptione pondera auri probatissimi libras duodecim.

Signum manus Domni Carlomanni Serenissimi Regis.

Baldo Cancellarius Regis, ad vicem Theocmari Archicapellani recognovi et subscripsi.

Data decimo septimo Calendas Novembris, anno Christo propitio secundo Regni Domni Carlomanni Serenissimi Regis, Indictione decima. Actum Papiam Civitate Regia in Dei nomine feliciter. Amen.”

Post mortem piissimae recordationis Ludovici Serenissimi Augusti, Domno Romano primo Abbate, in augmentis, et profectibus Sacrosanctae Casauriensis Ecclesiae fortius et sollicitius insistente, plures iniquae et pravae mentis homines insurrexerunt, coeperumque ipsum regale Monasterium querimoniis conturbare, Abbatem nimis vexationibus fatigare, quia non fuit postea Rex vel Imperator, qui tanta devotione vel sollicitudine ipsum et res eius tueretur et custodiret, sicut Imperator Ludovicus, qui eum a fundamentis constuxerat. Nam erant eo tempore tres fratres, videlicet Amelfredus, Waningo, et Petrus filii quondam Iustonis Franci, qui contendebant adversus Romanum Abbatem res et possessiones Gundi genitricis eorum, quae legibus et dono ipsius Caesaris Piscariensi Monasterio erant addictae seu confirmatae, sicut in superioribus scriptis continetur. Unde cum apud Civitatem Teatinam Ildebrando et Ellone et Singolfo Castaldionibus, Supponis Comitis Vicariis, generalis Curia celebraretur, Romanus Abbas est eos prudenter aggressus, et de eisdem rebus cum Advocato suo contra ipsos sapienter agens et causidicans, veris assertionibus eos devicit et confutavit.

Postquam igitur supradictus Imperator Carlomannus Imperii gubernacula in duobus annis explevit, Carolus, qui tertius est dictus, ei in Imperiatu successit.

878.

Eodem tempore, anno videlicet ab Incarnatione Domini octingentesimo septuagesimo octavo, Indictione undecima, cum

Romanus Abbas a multis infestaretur, et ipse prudenter se a cunctis defenderet, conquestus est super Rodelando et



nt compartatione seu dono bonae memoriae Ludovici Imperatoris. Qualiter autem infra Civitatem Pinnensem cum ipsis



it, et res suaprascriptas ad proprietatem Monasterii adeptus fuerit, in ipsa notitiae chartula exinde facta, et testibus roborata reperitur et legitur.

Commutavit ipse Abbas alias res de casalibus Ratiano et Andrabano, Casule et Paterno; quae cambitiones factae sunt cum Domno Bertino Casinensi Abbate, qui eo tempore Sancti Benedicti Monasterio praeerat. Erat eodem tempore vir quidam rebus locuples possessionibus opulentus, Garibaldus nomine, genere et habitatione Marsicanus, a quo Dominus Romanus primus Abbas acquisivit in territorio Marsicano per loca et vocabula, et mercatus est omnes possessiones, et res proprietatis suae, tam infra civitatem Marsicariam, quam extra, videlicet in casis, et terris modiorum triticei seminis quingentorum quinquaginta. In uberrimis et fructiferis vineis, et arboribus, et ceteris rebus, ipso Garibaldo studiose vendente, et pretium ab eodem Abbate recipiente in auro et argento solidos sexcentos.

Sanso Valvensis, vir nobilis et illustris, a quo totum Raianensium et Sansonicorum stemma protrahitur, cum in eiusdem



ordationis Ludovici Imperatoris in partibus illis polleret, vendidit, Domno Romano, Abbate emente, omnes res suas, quae a



ne sibi provenerant in villa Carrene, in terris et vineis, et ceteris rebus; recepitque in pretium ab eodem Abbate in argento et caballis centum solidos. Quae villa Carrene cum ipsa possessionis emptione cum esset de possessione seu iure proprietatis Beati Clementis, concessa est eidem Sansoni per Domnum Romanum Abbatem, et per omnes fratres usque ad praefixum tempus sub statuto censu annualiter persolvendo. Ipsa vero villa postea in Castellum conversa, et a possessionibus munita, Prezze vocabulum accepit.

Erant tres fratres, videlicet Ameldricus, Oldericus, et Ingelbertus, filii quondam Franconis Salegi, a quo tota progenies

Consulensium Dominorum processit, vendiderunt Piscariensi Monasterio, Abbate Romano emente, agrum duodecim



loco nomine Asinarii, indeque receperunt pretium solidorum decem. Fecit etiam cum uno ipsorum, videlicet supradicto Amelrico, utilem Monasterio cambitionem; ipse Abbas accipiens ab eo terras et vineas, a quodam iustulo possessas, in Casale Asinarii, largitis proinde ipsi Amelrico res iuris Beati Clementis, quae fuerunt: quondam Roffredi et Rodilonis, terras et vineas eiusdem aestimationis in Casale, de Nasuniano vocabulo.

Investituram equidem eo tempore accepit Romanus Abbas ab Adeltruda, quondam Andeperti filia uxore cuiusdam Aglerii, de rebus et possessionibus quondam Ainardi viri sui anterioris in dugalium acceptis, in vico Teatino et Beloniano, quae possessiones protenduntur a fluminibus Piscariae, et Orta usque in confinium Valvense.

883.



s Dominicae Incarnationis octingentesimus octogesimus tertius haberetur prima Indictione, misit Domnus Romanus Abbas Celsum Praepositum ad Imperatorem Carolum, orans et petens ab eo, ut sex mansos in Amiterno acquisitos suo Piscariensi Monasterio Imperiali praecepto confirmaret. Imperator autem pro Piscariensis Monasterii et Abbatis veneratione, sive pro reverentia suorum Antecessorum Imperatorum, postulationibus annuit libentissime, ipsosque mansos Monasterio concedens et confirmans, iussit fieri praeceptalis pagina, qua descripta sic est.

#### PRAECEPTUM

Caroli Imperatoris de mansis in Amiterno,  
quas dedit Manasterio Piscariensi.

“ In nomine Sancta et Individuae Trinitatis, Carolus divina ordinante providentia Imperator Augustus omnium fidelium

Sanctae Dei Ecclesiae praesentium scilicet ac futurorum cognoscat industria, quia Romanus venerabilis Abbas de



nitatis per suum Missum deprecatus est Celsitudinem nostram, ut quasdam res propria iuris nostri praenominato Conobio, pro remedio animae nostrae concederemus. Statimque nos, Liutardo Episcopo et Archicancellario nostro suggerente, postulationibus ipsius assensum praebentes decrevimus ita fieri. Concessimus igitur eidem Monasterio pro mercedis nostrae augmento, et ut Deo pro nobis inibi iuges orationes libere offerat, mansos sex in pago Amiternino, cum uxoribus illorum ac

liberis, et substantiis, quaeque habere videntur; et in loco qui nuncupatur Casale, videlicet cum universis illorum appendiciis



e iubemus, ut deinceps eosdem iam praedictos servos supranominatum Monasterium perpetualiter possideat, nullusque habeat potestatem aliquid minuendi vel auferendi. Si quis contra hanc traditionem venire aut eam infringere voluerit, mille



oncessio plenior in Dei nomine obtineat firmitatem hoc nostrae auctoritatis praeceptum propria manu firmavimus, et annulo nostro, iussimus sigillari.

Signum Domni Caroli Imperatoris Augusti.

Waldo Cancellarius ad vicem Lutardi Archicancellarii recognovi et subscripsi.

Data duodecimo Calendas Iulii, anno Incarnationis Domini DCCCLXXXIII. Indictione prima, anno vero imperi piissimi Imperatoris Caroli tertio. Actum ad Monasterium quod nuncupatur Nonantula, in Dei nomine feliciter, Amen”.

884.

II. ABBAS BEATUS.



erore licet afficerentur, tamen secundum tenorem vel auctoritatem praeceptorum Imperialium protinus de propria congregatione fecerunt Abbatem, Domnum videlicet Beatum virum benignum et eximiae conversationis, anno Dominicae Incarnationis DCCCLXXXIV. Qui suscepto regimine, quia postea modico tempore vixit, aliqua de operibus suis, quae memoriae mandari possent, non sunt inventa, nisi quod in Casale de Pateliano, et Cedisse auxit in possessionibus Monasterii quodam Maio vendente, omnes ipsas res, quae quondam fuerunt Melergonii, pro quibus ipse Abbas dedit pretium caballum unum sicut eiusdem venditionis chartula docet.

### III. ABBAS ALMERICUS.

Duobus igitur annis Domnus Beatus in Abbatiatu peractis feliciter vita decessit. Quo decedente Domnus Almericus eiusdem Congregationis Religiosae vitae Monachus, tertio loco factus est Piscariensis Abbas.

891.

Quo tempore Wido Imperator, supradicto Carolo iam defuncto, in Italicum Imperium augustaliter successit, anno ab Incarnatione Domini octingentesimo nonagesimo primo. Almericus autem Abbas coepit ad munimen et profectum Ecclesiae quoddam aedificium infra pertinentiam de Alamne, loco, qui ob Ecclesiam inibi aedificatam dicitur de Sancto Angelo, firmare, ibique quibusdam viris, quorum nomina in ipsa donationis chartula invenuntur, pro anima sua donantibus, acquisivit terram ad ipsum opus construendum.

892.

Sequenti post haec anno Lambertus manu firmavimus, et annulo nostro, iussimus sigillari.

Signum Domni Caroli Imperatoris Augusti.

Waldo Cancellarius ad vicem Lutardi Archicancellarii recognovi et subscripsi.

Data duodecimo Calendas Iulii, anno Incarnationis Domini DCCCLXXXIII. Indictione prima, anno vero imperi piissimi Imperatoris Caroli tertio. Actum ad Monasterium quod nuncupatur Nonantula, in Dei nomine feliciter, Amen”.

884.

### II. ABBAS BEATUS.

Postquam recolendae memoriae vir Dei Romanus Abbas primus Piscariensis feliciter de hoc seculo migravit ad Dominum, Casaurienses fratres gravi moerore licet afficerentur, tamen secundum tenorem vel auctoritatem praeceptorum Imperialium protinus de propria congregatione fecerunt Abbatem, Domnum videlicet Beatum virum benignum et eximiae conversationis, anno Dominicae Incarnationis DCCCLXXXIV. Qui suscepto regimine, quia postea modico tempore vixit, aliqua de operibus suis, quae memoriae mandari possent, non sunt inventa, nisi quod in Casale de Pateliano, et Cedisse auxit in possessionibus Monasterii quodam Maio vendente, omnes ipsas res, quae quondam fuerunt Melergonii, pro quibus ipse Abbas dedit pretium caballum unum sicut eiusdem venditionis chartula docet.

### III. ABBAS ALMERICUS.

Duobus igitur annis Domnus Beatus in Abbatiatu peractis feliciter vita decessit. Quo decedente Domnus Almericus eiusdem Congregationis Religiosae vitae Monachus, tertio loco factus est Piscariensis Abbas.

891.

Quo tempore Wido Imperator, supradicto Carolo iam defuncto, in Italicum Imperium augustaliter successit, anno ab Incarnatione Domini octingentesimo nonagesimo primo. Almericus autem Abbas coepit ad munimen et profectum Ecclesiae quoddam aedificium infra pertinentiam de Alamne, loco, qui ob Ecclesiam inibi aedificatam dicitur de Sancto Angelo, firmare, ibique quibusdam viris, quorum nomina in ipsa donationis chartula invenuntur, pro anima sua donantibus, acquisivit terram ad ipsum opus construendum.

892.

Sequenti post haec anno Lambertus in Imperium coronatus sicut Wido Augustus Pater eius imperat.

900.

Temporibus igitur istis, supradictorum Augustorum Guidonis atque Lamberti iam annis expletis, tertius Ludovicus Regni et Imperii Coronam accepit nongentesimo Dominicae Incarnationis anno currente. Quo imperante, Domnus Almericus Abbas acquisivit in Casale Aquilano ad ius Monasterii a quodam Audeberto, quondam Luponis filio, terras, et vineas: propterea concessit ei de rebus Monasterii in eodem Casali in beneficium, sicut ipsius convenientiae charta declarat, sub statuto termino, et annuali censu. Concessit quoque cuidam Warneperito terram modiorum quadraginta in Casale Platiole sub annuo censu et statuto tempore.

910.

### IV. ABBAS LUPUS.

His ita praemissis Almericus Abbas, cum per annos decem et octo Piscariensem rexisset Abbatiam migravit ex corpore. Cui Domnus Lupus Casauriensis Monachus, Abbas est quarto loco continuo substitutus. Anno itaque Dominicae Incarnationis nongentesimo decimo, Dominus Lupus Abbas pastoralis cura suscepta adduxit in causam quemdam Waltarium

contendentem rem proprietatis Monasterii in loco nomine Corneto. Quo rationabiliter in Curia superato possessiones ipsas in Monasterii Proprietatem refudit. Per quatuor annos Piscariensem rexit Abbatiam, et in pace mortuus est.

916.

#### V. ABBAS ITTO.

Cui continuo Dominus Itto in Abbatiam quinto loco successit. Qui cum Abbatiae sibi commissae curam gereret anno ab Incarnatione Domini nongentesimo decimo sexto (quo anno Berengarius Regni et Imperii Coronam suscepit) praestariam fecit cuidam Rotardo de rebus Ecclesiae in Casale de Colmeniano.

Circa tempora vero ista supervenientibus Agarenis, gente videlicet pagana et crudeli, fuit Monasterii Sancti Clementis tanta depopulatio, ut nihil funditus in eo remaneret, et tota congregatio praeda hostium fieret. Tandem Christiani undique aggregati, auxiliante Deo, contra Agarenos pugnaverunt, ipsosque devictos a suis finibus expulerunt. Post quorum discessum praefatus Itto ad Monasterium rediit, et antequam ipse perdita recuperare, aedificia restaurare valeret, obiit. Vixit autem in regimine quinque annis, in dolore et aerumna, quia Ecclesiae sibi commissae destructionem videns eam, restaurare non potuit. Post mortem vero Ittonis Monasterium Sancti Clementis sine Pastore fuit, quia fratres erant dispersi, et res anihilatae, villae et castella destructa, et non erat in circumadiacentibus regionibus qui ei subvenire posset, tantum propriis calamitatibus unusquisque opprimebatur. Hac tempestate nutu Dei quidam Imperator Augustus nomine Berengarius, accessit ad has regiones, quem adierunt fratres, et depositis coram eo suis miseris, et ruina Monasterii, et gloria in qua fuerat temporibus Ludovici, acceperunt praeceptum. ab eo, ut Abbatem eligerent, et quaecumque de iure Monasterii fuerant, recolligerent, Congregationem ad priorem statum reducerent, et nihil de dignitate Monasterii perire permetterent. Sane ipsa praeceptalis pagina, quam de libertate, rebus, et dignitatibus Monasterii ad instar priorum Imperatorum idem Augustus fieri iussit, sigillo, et signo nominis eius fuit impressa et insignita, descripta sic est.

917.

#### PRAECEPTUM

##### *Berengarii Imperatoris de libertate Monasterii Casauriensis, et rebus eius.*

“ In nomine Domini Dei aeterni Berengarius Divina favente clementia Imperator Augustus. Si Sanctarum Dei Ecclesiarum famulantibus aliquod tutelae Imperialis nostrae subsidium seu defensaculum impendimus, id ad aeternae recompensationis meritum nobis proficere non ambigimus. Quo circa noverit omnium fidelium Sanctae Dei Ecclesiae nostrorumque praesentium scilicet, ac futurorum industria, qualiter Monachi cuiusdam Monasterii, in quo almificum Beatissimi Pontificis atque Martyris Clementis Corpus dignoscitur esse reconditum, ubi Casa-aurea nuncupatur, et in honore Sanctae, et Individuae Trinitatis constructum esse decernitur. Quod etiam Monasterium Dominus Ludovicus olim Serenissimus Imperator, et noster Consobrinus, a fundamento pro Dei amore, suaeque animae salute, cunctas proprietatis suae res infra civitatem Urbem (nempe Romam) sive extra ipsam, nec non et Pentapolis, Tusciae, Spoletini Ducatus, Camerini Comitatus, atque Fermi, Ascolini, Aprutini, Pennini, seu Teatini finibus positas, praetaxato Monasterio, ibique Deo famulantibus tribuens, construxit, ad Maiestatis nostrae clementiam percurrentes, mercedis nostrae pietatem suppliciter postulaverunt, quatenus eis pro Dei amore, nostraeque, vel parentum nostrorum animae remedio eiusdem praelibati Monasterii res, ipsi in eodem Monasterio nunc praesentibus atque futuris Christo Domino famulantibus, hoc nostrae auctoritatis Imperialis praecepto confirmare et corroborare modis omnibus dignemur. Quod firmiter attendentes, eorumque Monachorum miseriam atque inopiam attentius perspicentes, omnes eiusdem Monasterii res, quas praedictus Dominus Ludovicus Imperator, et Consobrinus noster, pro animae suae salvatione, in iam nominatis territoriis atque locis, praelibato Monasterio ad Beatissimi Pontificis atque Martyris Clementis honorem dicato, ubi Casa dicitur aurea, olim praebeuit suo in tempore, per hoc nostrum Imperiale praeceptum nolentes praenominati Domni Ludovici Serenissimi Imperatoris et Consobrini nostri elemosynam, atque mercedis suae largissimam donationem, in futuro penitus esse extinctam, quemadmodum iam saepe dicti Domni Ludovici gloriosissimi Imperatoris animus futuris temporibus idem Monasterium in suo statu atque rectitudine decrevit, et statuit esse, pro Dei amore, nostraeque animae remedio, vel parentum nostrorum salute, sicut etiam in eorum Monachorum iam nominato Monasterio assistentium praeceptis legitur, quae a praescripto Domino Ludovico Serenissimo Imperatore et Consobrino nostro, eidem Monasterio Monachis deservientibus conscripta esse videntur, per hoc nostrum Imperiale praeceptum perpetualiter praedicto Monasterio, eique deservientibus Monachis confirmamus, modisque omnibus corroboramus. Praecipientes, ut nullus Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, Sculdasi, Castaldio, aut quaelibet magni aut parvi officii persona, iam nominatum Monasterium, ibique Deo deservientes, atque Beatissimi Clementis humatum corpus custodientes Monachos, de eiusdem Monasterii rebus atque legali iudicio devestire audeat, eisque quamlibet inferat violentiam atque iniuriam. Sed liceat illis quieto ordine quietam pacem, omnes praedicti Monasterii res tenere et frui, Deumque pro nobis quotidie exorare absque contradictione cuiusquam. Si quis ergo hoc nostrae confirmationis praeceptum infringere vel violare tentaverit, sciat se compositurum auri optimi libras ducentas, medietatem Camerae

nostrae, et medietatem praetaxato Monasterio, ibique Deo famulantibus. Quod ut verius credatur, diligentiusque observetur, manu propria roborantes de annulo nostro subter assignari iussimus.

Signum Domni Berengarii piissimi Imperatoris.

Ioannes Episcopus et Cancellarius ad vicem Ardingi Episcopi et Archicancellarii recognovi et subscripsi. Data duodecimo Calendas Novembris, anno Dominicae Incarnationis nongentesimo septimo decimo: Domni vero Berengarii piissimi Regis vicesimo octavo, Imperii autem sui secundo, Indictione quinta. Actum in Piscaria in Christi nomine feliciter. Amen.”

#### **VI. ABBAS ALPARIUS.**

Casaurienses vero Monachi ad Monasterium regressi, inito consilio unum ex Fratribus Alparium nomine, Abbatem constituerunt et cum eo ad restaurationem Monasterii laborantes, quia paupertas eos gravabat, vix medietatem parietum erigere potuerunt. Qua necessitate compulsi coeperunt terras vendere, villas in vadimonio ponere, et tam infelici mercimonio domunculas aedificare, et antiquae gloriae obliti, quam Ecclesia habuerat temporibus Sanctissimi Imperatoris Ludovici, coeperunt illis esse obnoxii, quibus debebant esse terrori. Et dum Ecclesia ipsa tot calamitatibus premeretur, Alparius sexto loco Piscariensis Abbas fecit praestarias quibusdam viris Prandoni, Ioanni, et Formoso, de rebus in vico Pinnense quondam Donatiani, cuidam Leoni de rebus in Soractico, quae fuerunt quondam Sinderisii acceptis inde solidis viginti.

943.

Praeterea temporibus istis Lotharius cum Patre suo regnabat Ugone, anno ab Incarnatione Domini nongentesimo quadagesimo tertio. Tunc Alparius Abbas emit in Territorio Firmano Casale Aureliano loco, nomine Ripule, possessiones et praedia, duobus fratribus Titione et Ioanne sibi vendentibus, et pretium inde recipientibus solidos quinquaginta.

#### **VII. ABBAS ILDERICUS.**

Peractis igitur in regimine viginti quinque annis Alparius ex hoc Mundo discessit, cui Ildericus successit, vir prudens et contra adversa securus. In cuius tempore factae sunt praestariae de rebus Ecclesiae. Cuidam videlicet Urso de rebus in Casale, nomine Tresolie et Taungiano, acceptis inde solidis viginti. Cuidam Luponi de rebus in Casale Colmeniano ad Sanctum Rusticum, acceptis inde solidis viginti.

951.

Hoc siquidem tempore, anno Dominicae Incarnationis nongentesimo quinquagesimo primo, Berengarius et Adelbertus filius eius regnabant, anno primo. Quo anno accepit Ildericus ab Alexandro quondam Ardemandi filio, natione Baioario, possessionem in Vico centum modiorum. Datis ei de aliis rebus proprietatis Sancti Clementis. Quibusdam concessit Aldoni et Franconi de rebus quondam Gauderisii et Iustini filii sui, in loco nomine Cori, et Mariano, acceptis inde solidis quadraginta. Eodem tempore venerunt Atto Comes, et Adelguda Comitissa uxor eius, ad Domnum Ildericum Abbatem, et facta conventionem acceperunt a Monasterio Piscariensi beneficiali ordine Curtem de Colle cum tenementis suis, possessione terrarum ad mensuram triticei seminis modiorum quingentorum, sub praefixo tempore et annuo censu, acceptis inde solidis quingentis.

In huius Ilderici Abbatis tempore Episcopus Pinnensis Ecclesiae, Ioannes nomine, gravem querelam super Monasterio praefato excitavit, dicens quod tota Insula de iure Pinnensis Ecclesiae pendebat, Monasterium sua propria sedes et Camera erat; Abbas in eo sine eius licentia et iussu institui non debebat; dominum in Castellis et Villis habebat; Abbas Monasterii non Dominus, sed quasi quidam Vicarius erat; Monachos Ecclesiae non ab alio Episcopo ad Ordines promoveri, nisi a se permittebat. Quid plura? omnibus modis Monasterium opprimebat. Quod nefarium Ildericus (quem Alpario successisse supra memoravimus) vir prudentissimi ingenii, et constatissimi animi, ferre non valens, in praesentia Ducis et Marchionis Pandulfi, praesente Episcopo Firmano, nomine Gaydulfo, et Comite Lupone, et multis aliis eum devicit, et nihil iuris eum habere in Monasterio, in Insula, in Castellis, in Villis, in hominibus rationali assertionem demonstravit. Cumque idem Episcopus quietus permanere non posset, praefatus Abbas Ildericus praesentiam Domni Imperatoris Adelberti, filii Imperatoris Berengarii, apud Senogallias adiit, et aperta ratione demonstrans, quomodo eundem Episcopum in praesentia Ducis et Marchionis, et Episcoporum, et Baronum devicerat, iterum illum fallacem, mendacem, et nil iuris habere in his, quae postulat coram Imperatore iustis assertionibus et privilegiis antiquis Ludovici, Caroli, Berengarii, comprobans; etiam privilegium ab eodem Imperatore libertatis, munitiois contra ipsum Episcopum Pinnensem, et contra omnes, qui idem Monasterium, et ea, quae ad illud pertinent, conturbare niterentur suscepit: quod ita se habet.

#### **PRAECEPTUM**

*Adelberti Regis de libertate Monasterii contra  
Pinnensem Episcopum.*

“ In nomine Domini Dei aeterni, Adelbertus gratia Dei Rex. Omnium Fidelium Sanctae Dei Ecclesiae praesentium scilicet ac futurorum notum esse volumus sagacitati, qualiter Ildericus Abbas Sancti Monasterii constructi in honore Sanctae et Individuae Trinitatis venit ad nos in praesentia nostrorum Fidelium proclamans, quod Ioannes Episcopus Sanctae Pinnensis

Ecclesiae quaereret ei consuetudinem quamdam, videlicet, ut Clerus ipsius Monasterii ab ipso consecrari deberet, et scriptionem aliquam de rebus praedicti Monasterii sine suo consultu facere non posset. Nobis autem inquirentibus, si rectu foret quod ipse praedictus Abbas quaerebat, ostendit nobis qualiter divinae memoriae Ludovicus Imperator Augustus per praecepti paginam concessit praedicto Monasterio, quatenus nullus Pontifex aliquam consuetudinem in eo mittere tentet. His auditis, Episcopum praedictum advocare iussimus, diligenter illum inquirentes qua ratione aliquam consuetudinem de praedicto Monasterio quaereret. Qui respondens scriptum a praefato Imperatore suam Ecclesiam recepisse dixit, quod ostendere iussimus, ut ex utroque veritatis norma dignosceretur. Duobus igitur diebus illum expectantes, suum scriptum videre nequimus, unde nobis visum est illum mentiri, et idcirco hunc bundburdum scribere iubentes, praecepimus, ut nullus Pontifex aliquam consuetudinem, vel functionem de ipsa Abbazia exigat, et ipsam in statu suo liberam permanere iubemus, sicuti praefatus Imperator praecepti sui pagina permanere concessit. Si quis hunc bundburdum infringere tentaverit, sciat se compositurum auri libras centum medietatem praedictae Abbatiae, et medietatem Camerae nostrae. Quod ut verius credatur, diligentiusque inconvulse ab omnibus observetur, annulo nostro iussimus insigniri.

Amicus Diaconus iussu regito recognovi.

Data sexto Calendas Iunii, Regnantibus Domno Berengario et Adelberto Regibus anno decimo. Actum in Comitatu Senogalliae.”

His ita peractis idem Abbas intentus ad restaurationem Monasterii, cum ad profectum eiusdem noctuque dieque desudaret, et ob merita Beati Clementis Deum adiutorem sibi esse cognosceret, finitis decem et novem annis in regimine migravit ex corpore.

### VIII. ABBAS ADAM.

Cui successit Adam notus in Curia primi Ottonis Imperatoris, et ab eadem Curia concessus Abbas in Monasterio Piscariensi. Qui Adam iussu Domni Imperatoris suscepit curam pastoralem: perlectis chartis Monasterii et privilegiis, potsquam cognovit omnia fere perdita esse, et privilegia cessata, cum ipsis privilegiis retendit ad Imperatorem, et exposita in eius praesentia lachrymabili querimonia, impetravit novum privilegium, quod cum ceteris privilegiis continetur intra Monasterium, et accepit tres Legatos de latere Imperatoris, Petrum Episcopum Pinnensem, et duos Iudices Henricum et Aldonem, quibus haec praecepit, ut vendita redimerent, alienata Ecclesiae restaurarent, nulli ex raptoribus parcerent, et ita facerent, ut quando ipse veniret, omnia pacata, restaurata, et reparata inveniret. Si quis autem contentiosus esset, et eius praeceptis obtemperare nollet, invitus ante eius praesentiam adduceretur, demonstraturus qua fiducia rebellis existeret, quod iuris in rebus Ecclesiae et possessionibus, quas antecessores sui dederant, haberet. Quo timore omnes pervasores Ecclesiae occupati, quidam spontanea voluntate quod male invaserant dimiserunt; Alii pretium de male emptis receperunt, ceteri stimulari spiritu nequitiae, neque pro Imperatore quae male tenebant dimittere, neque eius Legatis debitam reverentiam exhibere voluerunt, imo attrita facie sicuti meretrix praesentiam Domni Imperatoris adierunt; et cum se accusare pro malefactis deberent, habitatores Ecclesiae, et Abbatem incusare coeperunt. Unde duplici exterminio confutati, et ab Abbate et a Fratribus, qui praesentes aderant, iudicio Curiae pervasa dimiserunt, et ea in quibus se ius habere, cum iniusti probarentur, absque ullo retinaculo funditus perdiderunt. Praeceptum autem sic habetur descriptum.

967.

### PRAECEPTUM

*De libertate Monasterii Sancti Clementis,  
et aliis rebus eius.*

“In nomine Sanctae Individuaeque Trinitatis, Otto Divina dispensante providentia Imperator Augustus. Cunctis sanum sapientibus liquet, quia quo magis cultibus Divinis insistimus, eo amplius supernae Maiestati reconciliamur. Quo circa omnium Sanctae Dei Ecclesiae Fidelium nostrorumque praesentium scilicet ac futurorum noverit unanimitas, quemdam Abbatem, vocabulo Adam, videlicet de Monasterio, quod Casa-aurea nuncupatur, nostram suppliciter adisse Celsitudinem, suisque manibus augustalia praedecessorum nostrorum divinae memoriae Ludovici, Carolique Imperatorum praecepta ferentem, eaque a nefandis hominibus funditus corrupta atque violati esse querelantem: quatenus ea pro Individuae Sanctae Trinitatis amore, nostraeque animae remedio, nostro Imperiali munimine praefacto Coenobio, quod Casa-aurea dicitur, corroborare atque confirmare, cunctasque res inibi aliquo titulo collatas, iuxta praedictorum Imperatorum decreta munire dignaremur. Igitur superno afflato instinctu, interventuque nostri dilectissimi Fidelis Huberti, scilicet Parmensis Ecclesiae praesulis, inflexi, praelibati Abbatis precibus annuimus, cunctasque res inibi hactenus quolibet tenore collatas, quae etiam sitae infra Romuleam Urbem, extraque esse videntur, scilicet per Campaniam, seu etiam per totam Pentapolim, Tusciam, et Spoletinum Ducatum, atque Camerinum, nec non etiam per Comitatum Ferminum, Ascolinum, Aprutinum, Penninum, seu Teatinum territorium. Quarum videlicet haec sunt nomina. Curtes Sancti Desiderii, atque Brilianum, Lignari, Osteia, Catamanico, Paternu, Picerico, Waldo, Corvino, Beloniano, Tocco, Casule, Selcanu, Ranile, Petra, Mampopplo, Accole, Supercli, Turri, Fullonice, Raiano, Culle, Pantano, Bico, Pinnense, Madici, Capitinianu, Carufani, Niranu, Celisse, Seranu,

Mortula, Asinari, Pecelianu, Cedisse, Opacultu, Victorrita, Blunza, Urciona, Sanctus Helias, Sancta Trinitas, Porclanu, Tolenianu, territorium Leonis filii Catulfi, Cella Sancti Mauri, territorium Maginfredi filii Formosiani, nec non etiam in Comitatu Furconino Curtem unam in Cerule, unam in Balvense, unam, quae fuit Ursi Castaldionis, in Marsicano, unam quae fuit Garibaldi, Soti, Turrem iuxta reate, unam in Hisiano, portionem Ecclesiae Sancti Michaelis, in Palme unam, in Pao similiter unam, Pantanola, et in Venena, unam in Civitate Tuscania, in Suberella, Catiniano, in horto Pistoriense, unam in Castro Felicitatis, in Sancto Cerboniom Carpena, Moliano, Baniolo, Bianco, Ocretano, Ecclesiam Sanctae Iustae, Casasque decem, in finibus Castri Tuscani: nostro Imperiali praecepto cum omnibus rebus mobilibus, et immobilibus, casis, pratis, vineis, pascuis, molendinis, servis, piscationibus, aquis, aquarumque decursibus, seu cum omnibus pertinentiis, quae dici nominative possent, prout iuste et legaliter possumus, praetaxato Sanctae Trinitans Coenobio confirmamus, corroboramus: eo scilicet pacto, quatenus nullus Dux, Marchio, Comes, Episcopus, Vicecomes, Castaldio, Sculdasio, vel aliquis publicae rei exactor, nec non magna parvaeque persona, de iam dictis rebus praenominatum Abbatem, suosque successores inquietare quolibet modo, vel Sacrosanctum saepe nominatum locum divestire aliquando conetur; sed potius venerando coetui inibi Deo famulanti sub nostra Imperiali auctoritate praelibatis rebus liceat uti, perfrui iure quieto omni publica functione abdicata. Praeterea statuimus, ut de his omnibus, si aliqua intentio exorta fuerit, a publicis Ministris tanquam de dominicis nostris per inquisitionem exigantur. Denique pro nulla mallatura quispiam ab Abbate vel Monachis de praefato Monasterio, vel ab Advocato eorum tortum quaerere audeat, quia ob reverentiam Sanctae Trinitatis eidem Monasterio concessimus. Insuper etiam huic venerando loco concedimus, ut omnem compositionem de chartulatis, atque libellariis eiusdem Monasterii sibi habeat. Nullusque exactor publicus hoc inquirere audeat. Sed si in quamcumque compositionem ceciderint, in sua potestate hoc habeant, quorum chartulati esse videntur. Si quis autem huius nostrae praeceptalis paginae, et quod maius est Divinae promulgationis sacrilegus contemptor, et temerarius violator extiterit, sciat se compositurum auri libras centum, medietatem Camerae nostrae, et medietatem ipsi Sacrosancto municipio. Quod ut verius credatur, diligentiusque ab omnibus observetur, manu propria roborantes nostro sigillo iussimus insigniri.

Signum Domni Ottonis invictissimi Caesaris.

Ambrosius Cancellarius ad vicem Huberti Episcopi et Archicancellarii.

Data decimo Calendas Ianuarii, Anno Dominicae Incarnationis DCCCCLXVII. Imperii vero Domni Ottonis sexto, Indictione decima. Actum Romae feliciter. Amen.”

Eodem itaque tempore venit Itto Missus Imperatoris, et investivit Domnum Adam Abbatem de rebus, quas Piscariensis Ecclesia perdidit, videlicet de ipsa re de Vicano, de Ecclesia Sanctae Iustae, de rebus in Ocretano, de rebus in Pompeniano, de rebus in Cerana, de Ecclesia Sanctae Mariae de Romanis, de molinis de Corneto, de rebus in Saractico, de rebus in Asinariis, de rebus in Alanne, de rebus in Balneo.

968.

Gloriosissimus igitur Imperator Otto cum de Urbe Roma, ubi eodem tempore, idest, anno Dominicae Incarnationis nongentesimo sexagesimo octavo, filium suum Ottonem in Imperatorem Augustum excellentissime coronaverat, et Domnus Adam Abbas ibidem ab eius clementiae magnitudine per scriptum Augustale praeceptum acceperat, in Apuliam et Calabriam, ut eam suo subiugaret Imperio, tetendisset, Domnus Adam Abbas iterum eundem adiit Imperatorem, et enarratis omnibus, quae fecerat, quomodo quaedam perdita restauraverat, et quaedam de male venditis, et sub pignore positis redemerat, in eisdem Apuliae finibus apud Bivinum secundo impetravit privilegium de libertate Monasterii, de tuitione rerum acquisitarum, et quod posset construere in rebus acquisitis, vel acquirendis quodcumque vellet aedificium ad munitionem Monasterii, sive Ecclesiam, sive Castellum, et nemo in hoc sibi contrarius existeret, si adversus hostes Ecclesiae ad eos deprimendos munimina aedificaret. Norat etiam ibi praedictus Imperator Otto Ecclesiam Sancti Clementis in Lisina cum omnibus appendiciis suis, et eam eodem Privilegio confirmavit, ne quis temerator auderet infringere quod tantus vir confirmasset Ecclesiae, quod privilegium descriptum sic est.

969.

## PRAECEPTUM SECUNDUM

Primi Ottonis.

*De Libertate Monasterii, et ceteris rebus suis.*

“In nomine Sanctae Individuaeque Trinitatis, Otto divina ordinante providentia Imperator Augustus. Ad hoc nos divina potentia ad Imperialis culminis provexit apicem, ut omnium, maxime Divinorum cultui mancipatorum frugibus consulamus, quatenus Servorum Dei ibidem vigilantium et orantium precatibus status Imperii nostri serie tranquilla dirigantur, et post huius temporalis vitae discessum felicitatis aeternae contubernium nobis non denegetur. Quo circa noverit omnium Sanctae Dei Ecclesiae Fidelium, nostrorumque praesentium scilicet ac futurorum universitas, nobis redeuntibus de Calabria, (quam nostro subdere conati sumus Imperio) Hubertum venerabilem Sanctae Parmensis Ecclesia Episcopum, et Archicancellarium, nostram adisse Clementiam; quatenus venerabili Abbati Adae desudanti in nostro servitio, et pro nobis, statuque nostri Regni oranti, confirmaremus et corroboraremus nostra praeceptali auctoritate Monasterium suum, dedicatum

in honore Sanctae Trinitatis, in loco, qui dicitur Insula Piscaria, et quae vocatur Casa-aurea, ubi corpus Beati Clementis reconditum est. Cuius petitionem gratanter accipientes, confirmamus et corroboramus praefato Abbati Adae supradictum Monasterium cum omnibus rebus et proprietatibus suis, videlicet de Castello Sanctae Heliae, quod illi legaliter pertinet, et Curtem de Querceto, et res, quas obtulit Iohannes eidem Ecclesiae, et Curtem de Linare, et res de Cerano. Res etiam, quas obtulit Magelfredus, et Curtem de Selcano, et res, quae fuerunt quondam Mizoni, et Curtem de Corneto, et Curtem de Saline, et Curtem de Lauro, et Curtem de Vestiniano, et Curtem de Triselo, et Curtem de Sereniano, et Curtem de Domo, et Curtem de Mitiano, et res a Fulrado dimissa, et Cellam de Alisinal Sancti Clementis cum piscatione de Pantano et cum ipsa Foce, et terram ipsius Foce, cum Insula, quae est inter Mare et Pantanum, et res, quae fuerunt quondam Corvini, et Curtem de Baniolo et de Viano, et res, quae fuerunt quondam filli Scatolfi, et Montem Soti, cum rupibus et Sylvis eius, et res de Blunza, et de Petiliano cuin ipso Castello, et res Garibaldi, sicut in Chartula ab eo facta legitur, cum omnibus adiacentiis et pertinentiis suis, cum Capellis, Castris, Casis, domnicatis, campis, vineis, sylvis, aquis, aquarumque, decursibus, molendinis, piscationibus, pascuis, rupibus, planitiebus, montibus, alpibus, una cum servis et ancillis, aldiis, et aldiabus, et utriusque sexus familiis, praestandariis, chartulatis, libellariis, ut habeat, teneat, firmiterque possideat, tam ipse venerabilis Abbas Adam, quamque sui posterii in perpetuum.

Praeterea sancimus ut nullus Episcopus, Dux, seu Marchio, Comes, Vicecomes, Sculdasio, Castaldio, aut aliquis reipublicae Minister, seu quaelibet magna parvaque nostri Regni persona, de omnibus quae ad praefatum Monasterium pertinent tam rebus, quam famillis eum disvestire aut inquietare audeat; vel de omnibus supradictis sine licentia praefati Abbatis, successorumque eius se intromittere praesumat, sed omnia iudicio et potestati eius, qui pro tempore fuerit, reserventur atque subdantur. Et si Castella, aut Ecclesias, vel aliqua aedificia in eisdem rebus construere voluerit habeat licentiam ordinandi, augmentandi, commutandi: quemadmodum a nostris antecessoribus Carolo videlicet, atque Ludovico, per praeceptalia scripta eidem Monasterio concessa sunt omnium hominum contradictione: remota et cetera *ut in priori Praecepto.*

Signum Domni Ottonis Serenissimi Imperatoris Augusti.

Ambrosius Cancellarius ad vicem Huberti Episcopi et Archicancellarii recognovi, et subscripsi.

Datum Calendas Maias, anno Dominicae Incarnationis DCCCCLXIX. Imperii vero Domni Ottonis Augusti octavo. Actum in Apulia in suburbio Bivino in Dei nomine feliciter. Amen.”

Cum autem Abbas Adam a Curia cum honore et reverentia regrederetur, et a Baronibus terrae, et vicinis circumadiacentibus pro metu Imperatoris, et sui fortitudine animi timori haberetur, quod habebat in animo, in opere coepit depromere .

Gavalterius quidam in Comitatu Pinnensi, videlicet in Muscuso, abstulerat Ecclesiam Sancti Rustici cum possessionibus quae ad illam Ecclesiam pertinebant victus ab Abbate in praesentia Curiae, quod iniuste pervaserat, iuste dimisit et perdidit. Similiter fuit factum de Lupo quodam nobilissimo, qui sua violentia abutulerat praefato. Monasterio montem de Paterno et Planum Ambrilie, et tenimentum Boloniani; Ipse devictus in Curia et confusus, quod iniuste tenebat iuste dimisit et perdidit.

Laurentius quidam in territorio Marsicano cupiens esse particeps iniquitatis eorum, qui Ecclesiam Beati Clementis Summi Pontificis, et Martyris depraedabantur illas possessiones, quas Guaribaldus Abbati Romano vendiderat, ex praedicta Ecclesia ex venditione legitime facta, et testibus confirmata tenuerat, nefaria subreptione abstulit, habuit, et possedit, donec in tempore praefati Abbatis Adae, qui vigilabat ad profectum Ecclesiae, ante praesentiam Domni Imperatoris ire coactus, ibique convictus, et confusus, reddidit, et quietavit quod male tenuerat, et scripto confirmavit, quod amplius nihil quaereret in tota possessione illa.

Petrus Aprutinus Episcopus commutaverat cum eodem Abbate possessiones quasdam, quarum possessionum vocabula, et loca in eadem commutationis chartula reperiuntur, et tenores et patuationes cambitionis. Cumque idem Petrus Episcopus ipsam possessionem in Aprutino Comitatu nongentorum quinquaginta modiorum in loca, nomine Paco, inter Colata et flumen Trotinum, et flumen de Curte, et rivum de Larcianello, fracta convenientia cambitionis, persuasisset, adductus est in causam, et coram nobilibus viris et potentibus, iudicio Curiae Imperiali quae pervaserat dimisit et perdidit.

Praeteritis insuper annis quando Sancti Clementis Abbatia ab Agarenis vastata opprimebatur, et possessionibus imminuebatur, Lupo quondam Ildegerii filius, cum ut supra dictum est, Monasterium infestaret, tunc temporis ad montana conscendit, et circa montis ascensus, qui dicitur Ursa, de villulis et pertinentiis Beloniani et Tocci, a Sancto Clemente possessis, et ab ipso Lupone pervasis, oppidum violenter aedificavit. Quod cum vigilantissime custodiret, ac secundum morem vigilantium munitiones et Castella ipsemet in eius constructione vigilans frequenter cantaret, ob hoc vulgus arrisit, dicens: Cantat Lupo, ipsique saepe applaudebat agens: Canta Lupo; unde Castellum ipsum, Canta-Lupo nomen accepit.

Erat praeterea quidam vir alter, nomine Lupo, filius quondam Guidonis, qui habita convenientia cum Domno Adam Piscariensi Abbate, tribuit Monasterio Sancti Clementis in territorio Teatino, in ipsa plana de Piscaria, in pertinentia de Curte de Orsiano possessiones et praedia, recepitque inde res Monasterii in Selcano et Soliano, in Petaczo et Zappino, secundum quod chartula exinde scripta perdocet.

Hac igitur occasione et ex illo tempore Lupolinei, qui ab eodem Lupone dicti sunt Lupolinei, quum de Luponis linea processerunt, subintraverunt possessionem Beati Clementis habitam inter tria flumina, Orta videlicet, ac Piscaria, et

Lavinum, quae protenditur usque ad Sanctum Martirum de plebe, et usque ad rivum Alegium; infra quam possessionem, videlicet circa rivum Cupum invenerunt petram, in qua postea munitionem aedificaverunt, quae dicitur Castellum de Petra.

978.

Eodem nimirum anno videlicet Dominicae Incarnationis nongentesimo septuagesimo octavo, cum solus Otto Secundus Italiae imperaret, quia primus Otto pater eius Caesar invictissimus iam ante quinquennium obierat, Liduinus Teatinus Episcopus invitans alios, qui Ecclesiam Sanctae Trinitatis et Beati Clementis possessionibus spoliare, et ad nihilum reducere, si possent, nitebantur, abstulerat possessionem centum modiorum ultra pontem Marmoreum, a flumine Piscaria usque ad rivum Arulli: quam possessionem, quam iniuste possidebat, devictus et confusus dimisit et perdidit iudicio Curiae.

Matrona quaedam nobilissima, nomine Ota, duos infantulos ex se genitos ad mortem aegrotantes Scifredum et Tresidium habens, illis diebus ut incolumes redderentur Sancto Clementi devovit. Qui profecto in ipsa votatione, quibusdam praediis suis in vico Pinnensi Monasterio per Chartulam traditionis largitis, a funerea aegritudine convaluerunt. Deinde probitatibus et divitiis vigentes in hoc seculo nobiliter claruerunt.

Tresidius quidam in Comitatu Aprutino terram centum modiorum, in loco ubi dicitur Colle Corbino, inermi iustitia et fraude sua Beato Clementi et habitatoribus eiusdem Coenobii abstulerat, convictus turpiter, quamvis non erubescens, dimisit, et ne in ea ulterius calumniam faceret pro se et pro suis heredibus sacramento et scripto confirmavit.

980.

Anno itaque ab Incarnatione Domini nongentesimo octogesimo, Domno Ottone Secundo feliciter imperante anno quarto decimo, mense Martio, Indictione octava, quaedam mulier, nomine Ursa religionis habitu suscepto, et Monialis effecta, obtulit pro anima sua per chartulam traditionis tertiam partem de omnibus rebus et possessionibus suis, quas in vocabulo de Raianello, et Pantano, atque Teczanico habebat.

His namque temporibus Abbas Adam aedificavit Roccam in summitate montis Soti, quam Roccam Abbatis iussit appellari: in qua munitione, si necessitas ingrueret, decreverat thesauros Ecclesiae, et quaeque pretiosa locari: Fecit et aliud Castellum, quod Olivulam appellavit, in quibus duas villulas posuit, Pantanum scilicet et Raianellum. Castrum vero Collis iam antea erat ad iurisdictione Monasterii Piscariensis aedificatum ab Actone comite, et ab Aldegude Comitissa uxore sua, Domno Almerico quondam Abbate sibi concedente, atque iubente, quando ipsam Curtem, ut supra scriptum est, eis concessit. Interea cum ex diminutione quam Piscariensis Abbatia perpressa est a tempore quo barbara gens eam divastavit, Ioannes Pinnensis Episcopus quaedam adhuc de praediis Monasterii Beati Clementis in vico Pinnensi et Bectorrita, seu Colummelle, pervasa teneret, et Domnus Adam Abbas ab omni possessione iuris Abbatiae funditus illum conaretur evellere, et maxime quia tunc temporis pro construendis supradictis Castellis ipsae possessiones erant necessariae, facta cambitione, redditisque sibi quibusdam possessionibus in Pinne loco qui dicitur Casale, praedicta praedia ad opus Monasterii recepit, et sic Episcopum ex Abbatiae finibus amovit.

981.

Hoc etiam tempore, anno scilicet Dominicae Incarnationis nongentesimo octogesimo primo; dum his quae supradiximus construendis Abbas Adam esset intentus, et Domnus Otto Secundus Imperator Romam adveniret, ut ibi sicut moris est coronaretur, Abbas Adam, qui non dormiens, sed bene vigilans debet appellari, ei occurrit, et privilegium ab eo impetravit, in quo quaecunque pater eius dederat, et concesserat, confirmavit. Quae vero praeceptalis pagina ad instar priorum Regalium praeceptorum descripta sic est.

## PRIVILEGIUM

### *Otonis II. Imperatoris de possessionibus et libertate Monasterii Piscariensis*

“In nomine Sanctae et Individuae Trinitatis, Otto superno disponente ordine Imperator Augustus. Cunctis sapientibus liquet, et cetera ut in praefatis Privilegiis.

Igitur superno afflati instinctu, interventuque nostri dilectissimi fidelis, Petri scilicet Papiensi Praesuli, inflexi praelibati Abbatis precibus annuimus, cunctasque res inibi hactenus quolibet tenore collatas. Quae etiam sitae infra Romuleam urbem, extraque esse videntur, et cetera ut supra.

Quod ut versus credatur, diligentiusque ab omnibus observetur, manu propria roborantes praesentem paginam, nostro sigillo iussimus insigniri.

Signum Domni Otonis Secundi serenissimi Imperatoris, et invictissimi Augusti.

Ioannes Cancellarius ad vicem Petri Episcopi et Archicancellarii recognovi, et subscripsi.

Data decimo quarto Calendas Maii, anno Dominicae Incarnationis DCCCCLXXXI. Indictione nona; Regni vero Domni Otonis Secundi vicesimo primo. Impera autem eius decimo quarto. Actum Romae in Palatio iuxta Ecclesiam Beati Petri Apostoli, in Dei nomine. Amen”

Eodem post haec anno Domnus Otto Imperator ex Romulea egressus urbe, et aedificata sibi regali domo in Campo qui vocatur de Cedici, toto ipso aestivo tempore ibi perendinans mansit. Igitur eodem ibidem augustaliter permanente, Domnus

Adam Abbas in Curia, quae in ipso Campo ab Episcopis, Comitibus et fere totius regni Principibus, atque ipsarum Provinciarum Iudicibus solemniter est celebrata, a Scamberto Piscariensis Monasterii Praeposito Imperialibus perlectis privilegiis, recuperavit super adversarios et pervasores rerum Sanctae Piscariensis Ecclesia: et iudicio ipsius Imperialis Curiae reinvestitus fuit de universis rebus et possessionibus, quas a principio sui Piscariensis Abbatia tenuerat, atque possederat, in Comitatu Amiternino et Farcomno, et in Comitatu Marsicano atque Valvensi, et positum inde fuit Imperiale bandum, sicut in ipsius notitiae scripro reperitur et legitur.

Postquam autem regressus est Abbas Adam ad Monasterium, studebat omni solitudine recuperare omnia fere quae temporibus Antecessorum suorum perdita, vel vendita, vel in vadimonio posita fuerant. Nam super quibusdam viris Lupo et Deodato, et super quibusdam Ioanne et Amico germanis, quoddam tenementum, Gemmerutum vocitatum, per sententiam Curiae recuperavit, quod tenementum castro Castellionis addixit; construxit enim in eo tempore ipsum Castellum ubi solebant esse harae porcorum et stabula iumentorum, in quo posuit vicum qui Pinnensis appellabatur, et Gemmetum, et duas villas, quae ambae Cevaranum dicentur, cui nomen indidit et ipsum vocari instituit Castellionum, eo quod ibi antea in castris suis solebant sedere pastores ovium. Fecit et Bitturritum ex nomine dictum Villulae; quae antea sic vocabatur, cui Bitturrito Blunsam iunxit cum Petaciano, Perule, et medietate Opaculi.

Scifredus et Tresidius supradicti fratres quos Beati Clementis virtute supra diximus a mortali aegritudine liberatos, circa suam Ecclesiam semper fuerunt devoti. Quorum unus, Scifredus scilicet, ab Adam Abbate conventus et exoratus possessiones ab antecessoribus ipsius Scifredi occupatas, quas Abbatia Sancti Clementis amiserat a tempore quo fuit imminuta ex desolatione barbaricae gentis, venditionis actione reddidit et quietavit. Est autem haec possessio in Frelle, Mosellule, Tocco, Boloniano, Casule et in Cori, pro qua suscepit praedictus Scifredus duecentos solidos. Ex istarum quidem villarum pertinentiis castellum nomine Mosillule fuit ex illo tempore a pervasoribus violenter aedificatum atque retentum. In huius vero Misillule tenemento est Ecclesia in honore et vocabulo Sancti Andreae Apostoli aedificata, et a priscis temporibus in obedientiam Monasterii Beati Clementis addicta.

Confutavit etiam idem Abbas Adam quemdam potentissimum, Bezonom nomine, de possessione mille modiorum terrae in Caramanaco, et Piccerico, quae ei ad censum data fuerat, et cum censum reddere, et ea quae pollicitus erat Ecclesiae observare nollet, et terram in dominio contra ius et fas ipso tempore teneret, tandem devictus iudicio, quod iniuste tenebat dimisit, et ne ultra repeteret confirmavit scripto. Igitur in ipso tempore istas possessiones possideret Bezo non proprio, sed Beati Clementis titulo, aedificavit ex eis Castellula duo in valle de Caramanaco, unum videlicet ultra fluvium Orta, et Orsente, quod vocavit Picericum, eo quod picae ibi circinebant, quod quasi propter picarum circinium dictum est Picericum. Alterum vero citra Orta fluvium aedificavit, cui nomen impositum fuit Salle, quia in ipso saltu montis, et infra saltum lignorum est positum.

983.

Per idem tempus anno videlicet ab Incarnarione Domini nongentesimo octogesimo tertio, Indictione undecima cum Domnus Otto secundus Imperator in Apuliam profectus, et Ottone filio suo in Regem coronato, apud Varim civitatem maneret, Ioannes Pinnensis Episcopus, qui iam bis victus fuerat in Curia Imperatoris Adelberti tempore Hilderici Abbatis, quasdam villas, videlicet Ranile, Mampopplo, Accole, Turri, Superclo, Fullonice, et Arcessano invaserat, ibique a Domino Adam Abbate superatus atque devictus cum rubore dimisit, et tam sibi, quam successoribus suis perdidit.

Sane Tresidius Comes, cui frater erat supradictus Scifredus, cum magnae devotionis esset circa Beatum Clementem liberatorem suum, eo tempore quia potens erat in illa regione, Domno Adam Abbate volente, quoddam ex aliquibus istarum villarum possessionibus Castellum aedificavit, quod cum filiis supradicti Luponis, et aliis consortibus suis et consanguineis displiceret, et ipse non desisteret, conviciabantur ei dicentes: Hoc est Castrum Abbatis eius: quod verbum ipse Comes magnanimitate concepit, et quia dicebant castrum Abbatis eius, imposuit ei nomen Abbateium, quasi Abbatis eius.

Postquam autem excellentissimus Abbas Adam de Apulia regressus est ad Monasterium et omnia in eodem statu tranquilla possideret: in loco qui dicitur Petraniqua construxit Castellum de Petelliano, monte Falcone, valle Lupa, et altera medietate Opaculi. Corvariam quoque construxit, in quo Casule Lecetum et Niranum posuit. Et dum his, quae supra diximus, construendis Abbas Adam esset intentus, Deus volens remunerationem reddere pro labore, in quo ad profectum Ecclesiae annis viginti et uno desudaverat, percussus corporis infirmitate cum sentiret suae mortis sibi diem approximare, sumpsit Viaticum, et habens cum Fratribus colloquium, commendavit illis obitum suum; et ita laetus et securus de se perrexit ad Dominum.

987.

## IX. ABBAS IOHANNES.

Quo tumulato Fratres quemdam ex suis, Ioannem nomine, ipsius Monasterii Decanum, elegerunt, et secundum consuetudinem Ecclesiae in sede posuerunt; et ut imitator boni Pastoris sui, videlicet praedecessoris, esset, et dictis et factis saepius commonuerunt. Qui Iohannes cum esset Abbas effectus, coepit facere praestarias de rebus et possessionibus Monasterii, sicut reperitur et legitur in chartulis dierum Abbatibus sui. Quae chartulae incipiunt ab anno Dominicarum Incarnationis nongentesimo octogesimo septimo. Quo videlicet anno venerandae memoriae Adam Abbas est defunctus et ipse Iohannes Abbas fuit electus.

Quidam superscriptus Comes fuit, qui Atto vocabatur, qui veniens ad praedictum Iohannem Abbatem accepit ab eo in Comitatu Aprutino duas curtes, Urcionam scilicet. atque Belerim cum appendiciis suis, videlicet cum septingentis modiis terrae. In Pinnensi etiam territorio idem Comes accepit ab eodem Abbate terram quingentorum modiorum inter flumen Piscariae et flumen Tabae, in locis qui dicuntur Saline, Coronule, Soractetu, Batuniano. Et in Teatino territorio inter flumen Sangum et flumen Piscariae accepit ab eo mille modios terrae, in locis qui Aiano, Paterno, Corule, Ripa Corvaria, et Sanctus Callixtus appellatur. Et haec omnia, quae supra notavimus, praedictus Comes mille solidis accepit tali tenore ut possideret ipsam terram dum adviveret cum uxore sua nomine Aldegunde, et ipsis defunctis nepos eius Comes Transmundus possideret easdem, et haberet ab Abbate Sancti Clementis usque ad tertiam generationem, et per singulos annos quinque solidos daret Ecclesiae ob recordationem.

997.

#### **X. ABBAS GISLEBERTUS.**

Talem successorem sanctae recordationis Abbas Adam habuit, qui per novem annos Monasterio praefuit. Deinde condigna morte Deus illum ex hac vita migrare coegit. Cui successit Gislebertus nomine, qui sicut in sequentibus scriptis reperitur, non sua sponte accepit Abbatiam, sed parentes eius cum praefato Comite Transmundo ordinaverunt eum Abbatem. Qui non invenitur in chartulis dierum suorum fecisse nisi praestaris et cambitiones, quae incipiunt ab anno Dominicae Incarnationis nongentesimo nonagesimo septimo, quando concessit quibusdam Alberico et Pranoni de rebus in Corni, acceptis inde solidis quindecim.

#### **XI. ABBAS GRIMOALDUS.**

Tunc temporis quidam Adam tradidit pro anima sua quamdam terram modiorum septem in vico Pinnensi, ad opus Monasterii Sancti Clementis. Interea infra tempus Gisleberti quidam Grimoaldus Abbas reperitur, qui cuidam Aifredo concessit de rebus in Cerbarano, acceptis inde solidis quinque. Hinc amplius iste Abbas Grimoaldus non invenitur, tamen post Gislebertum scribitur, et nomen eiusdem Grimoaldi post nomen Gisleberti ponitur, et post eum locum habet in Catalogo. Porro in Monasterii regimine vel actibus rursus Gislebertus Abbas habetur.

1000.

Igitur Incarnationis Domini nostri Iesu Christi anno millesimo, cum Otto Imperator puer praeterito anno Beneventum venisset, obiit Sutri, et hoc anno Domini millesimo, ipso defuncto, Henricus Patru sui filius in Regem est coronatus. Gislebertus interea Piscariensis Abbas faciebat praestarias et cambitiones.

In tempore vero huius Gisleberti posuit Deus in corde cuiusdam nobilissimi hominis, Trasberti nomine, ut carens berede Christum suarum rerum faceret heredem. Iste Castellum Colleodonis, et medietatem Castellum Ripalte, et octavam partem Fabricae cum omnibus, quae ad haec videbantur pertinere, dedit possidenda hereditario iure Ecclesiae Sancti Clementis, et eius habitatoribus.

Fecit cambitionem cum nobili et potenti viro Pinnensi, Bernardo nomine, Liudini filio. Dedit nempe Castrum Bectorritae cum molendinis, et omnibus appendiciis suis, et cum aliis possessionibus Castellionis, et Olivulae per loca et vocabula in charta descripta; et recepit in Pinne per loca et vocabula circa litora maris Adriatici praedia et possessiones terrarum, modiorum mille centum sex, sicut eiusdem cambitionis chartula protestatur. Porro cambitionem istam opinati sunt quidam inutilem fuisse Monasterio, cum pro retus et possessionibus de longinquo tribuerentur possessiones et res Monasterio propiores, et maxime quia fiebat interruptio de possessionibus in circuitu Monasterii continuatim acquisitis ex mandato et pecunia felicissimi Ludovici, et ex acquisitione Domni Romani primi Abbatis, sine interpositione continuatis. Nam ex ipso tempore Remigius quidam de capite Piscariae et Sancto frater eius, ambo militaris insignes potentiae, totumque genus Sansonicorum subintraverunt, et pervaserunt castella et terras Ecclesiae, quae aedificaverat prudentissimus Abbas Adam cum multis expensis, ut essent profugium, decus, et tutamen Piscariensis Abbatiae; et hoc malum totum deputabatur ignaviae pigri Pastoris et insipientiae. Verum ab Abbatibus ei succedentibus factum istud non fuit ratum, immo continuo in irritum revocatum: et eo moriente conantibus vicinis Baronibus et Ecclesiae fidelibus, ad nihilum penitus fuit redactum. Iste est famosus ille Bernardus de Pinne, qui postquam in ipso Comitatu Monasterium Sanctae Mariae de Piezano, et Monasterium Sancti Bartholomaei de Carpeneto construxit, in hoc Casauriensi Monasterio Monachus factus, senectutis et vitae suae dies moriens explevit.

#### **XII. ABBAS GISLEBERTUS INTRUSUS**

Item Gislebertus Abbas fecit cambitionem aliam cum Senebaldo, et fratribus suis, filiis Luponis, et per scriptum praestariae concessit eis omnem terram, et omnem possessionem iuris Beati Clementis, a plebe Sancti Martini usque in flumen

Piscariae, et a fluvio, qui dicitur Orta, usque in fluvium nomine Lavinum, et concessit eis Poium, ut Castellum ibidem construerent, cum Bosco de Zappino, et cum terris quingentorum modiorum; accepitque per cambitionem ab eis eiusdem quantitatis terras in Pago Pinnensi inter fluvium, qui dicitur Nora, et fluvium qui vocatur Tabe, et in planitie Piscariae, ubi Orfianum vocatur, et per alia loca et vocabula, sicut in chartis inde conscriptis reperit et legitur. Senebaldus vero, et Scifredus, et Wido filii Luponis, construxerunt Castellum in eadem propria terra Beati Clementis, et aggregaverunt in eo villas plures assensu et voluntate Abbatis. Sanctus Valentinus nomen est Castelli, pro eo videlicet, quia sicut fertur, in supradicto vocabulo de Zappino fuit olim civitacula quaedam, in qua cum duo fratres Valentinus et Damianus pro Christi nomine fuissent martyrizati, et post ipsius civitatulae destructuinem inventi, et deportati nec non Ecclesia in eorum honore seu vocabulo in ipsius Oppidi loco aedificata, ideo Castelli nomen est Sanctus Valentinus. Construxerunt etiam aliud Castellum circa fluvium Lavinum, cuius nomen propter eius Ecclesiam inibi dedicatam est Sanctus Vitus.

### XIII. ABBAS IOANNES.

Tredecim annis Ecclesiae praefuit Gislebertus, et hac vita caruit. Cui Ioannes in regimine successit, de quo non inveniuntur aliqua memoria commendanda, nisi quod fecit duas praestarias, cuidam scilicet Alberico et Sociis eius de rebus in Corni; quibusdam Alberico Diacono, et Franconi fratribus, de rebus in Insula, acceptis inde solidis triginta quinque. Uno tantum anno Abbatiam scribitur tenuisse, et in infirmitate correptus carnis debitum solvit. Istis nempe temporibus a Teobaldo et Winisio, filiis quondam Dodonis infra terram et terminos possessionis iuris Beati Clementis aedificata fuerunt duo Castella, Paternum videlicet et Lucus.

1012.

### XIV. ABBAS PONZIUS.

Defuncto itaque Gisleberto successit Pontius, cuius negotia et sui temporis instrumenta incipiunt ab anno Dominicae Incarnationis millesimo duodecimo. Tunc fecit commutationem cum quibusdam Petro et Faido, datis eis de rebus in Petaczano, et acceptis ab eis de rebus in vocabulo de Sancto Angelo. Concessit cuidam Petro et sociis eius de rebus in Opaculo et Corni.

1013.

Incarnationis ergo Domini anno millesimo decimo tertio Henricus Rex venit Romam, et coronatus est a Papa Benedicto. Interea Ponzus Abbas cum Trefidio Comite potentissimo Viro, quem superiori inseruimus paginae, de Castello quodam, quod habebat Ecclesia in pago Teatesi, Perannum vocitatu, fecit cambitionem, cum monte de Perano et cum omni re iuris Monasterii de ipsa planicie de Sangro, et accepit Belonianum, quod erat in villis vicinis Ecclesiae in propria Monasterii possessione, sed a tempore Luponis supradicti filii Ludegerii, erat a Monasterii dominatione quasi violenter extortum: recepitque inde Abbas super hoc in Comitatu Pinnensi praedium unum modiorum centum, in loco, qui dicitur Asinari, vocabulo Pallaricia. Porro post haec ipse Comes Tresidius ipsum Belonianum accepit a Monasterio, Abbate Ponzio sibi tradente, in beneficiis praestariae scripto usque in tertiam generationem, sub censu duorum solidorum singulis annis, acceptis inde Abbas solidis trecentis. Eo tempore per Tresidium Comitem traslatum est Belonianum, et cum eo aliis villis iuris Beati Clementis aggregatis, positum est in loco quo nunc est super ripam fluminis Orta, et murorum et turris aedificio in oppidum fortitudinis communitum, permanente sibi antiquo nomine Beloniano, eo quod de Benonia, sicut aiunt, fuit primus ipsius telluris cultor et habitator.

1016.

Hoc nimirum tempore anno siquidem ab Incarnatione Domini millesimo sexto decimo, Normanni Melo Duce coeperunt expugnare Apuliam. Quo videlicet anno Ponzus Abbas habuit convententiam cum Comite Trasmundo. Porrexitque sibi per cambitionem in Pinnensi territorio de rebus Monasterii in loco nomine Bianco et Vallone, et in vocabulo Collis Oddonis, et in planitie Piscariensi, et in loco nomine Asinari, vocabulo Pallaricia, accepitque Abbas inde per commutationem ab eodem Comite in Pago Teatensi, in loco qui dicitur Torrecella, et Colle alto, terram secundum quantitatem suae donationis, idest trecentorum modiorum, sicut eiusdem cambitionis chartula manifestat. Iste Comes Trasmundus construxit Monasterium Sancti Iohannis in Venere, et de suis rebus et possessionibus opulenter ditavit. Qui Comes Trasmundus iunior successit maiori Comiti Trasmundo in possessionis opulentissimis, quas a suprascripto Ioanne Piscariensi Abbate in Aprutino, Pinne, seu Tete acceperat, terram videlicet modiorum duo millium quingentorum. Ipsarum nempe possessionum quaedam ab ipso Sancti Iohannis Monasterio, quaedam ab aliis Monasteriis possidentur; quaedam vero a Normannis invasae, ab illo tempore Monasterium Sancti Clementis occasione supradictae concessionis eis penitus caruit.

Erat praeterea eo tempore Girardus quidam quondam Rocconis filius, qui tunc castrum Poperim vocitatum tenens, solebat cum filiis suis frequenter in montem de Ursa venatum ascendere, et de ipso monte cum suis venationibus in Teatinum pagum descendere, ubi circa ipsius montis ima erant villae Monasterii Beati Clementis, et in eisdem villis saepius pernoscere. Qui Gerardus Abbatem Pontium adiens convenit et allocutus est eum, et datis ei trecentis solidis accepit ab eodem Abbate praestariae scripto usque in tertiam generationem, sub censu duodecim denariorum singulis annis, villam de

Tocco cum possessione modiorum ducentorum sexaginta per loca et vocabula, quomodo in eiusdem concessionis chartula reperitur et legitur. Ab hoc siquidem Girardo processerunt Albericus, et filii Alberici, qui post mortem Girardi contra Monasterium Sancti Clementis se erexerunt, et violenter villis de circuito aggregatis, castrum Tocci violenter aedificaverunt. Deinde pharum, qui dicitur inter montes, construxerunt. Ipsique a constructione seu diminutione Tocci, dicti sunt Tocculani.

Domna Ota nobilis matrona, quondam Andreae filia, pro anima sua, et duorum quondam virorum suorum, Ioannis atque Totonis, tradidit ad proprietatem Monasterii Sancti Clementis praediolum suum, quod habebat in Cerbarano.

#### **XV. ABBAS ADAM.**

Ponzius Abbas cum septem annis Piscariense Monasterium rexisset, obiit, Huic successit Adam, superioris Adae, si diutius viveret, bonus imitator, qui contra Albericum suprascripti Girardi Rocconis filium, et filios ipsius Alberici, qui volebant aedificare Castellum Toccum, quod in propria possessione Beati Clementis, et in emptione quam fecerat Romanus Abbas iussione et censu Ludovici Imperatoris, se erexit, et forti manu tam peditum quam equitum eum expulit, quod aedificaverat subvertit, igne cremavit, et ad memoriam posterorum cineres concremati Castellum iubens in corbellis ponere, in agrum, qui Corbellarius ab eisdem corbellis dicitur, eos spargi praecepit.

1019.

Cum ergo secundus Adatti Abbas Piscariensi Monasterio praesesset (cuius nimirum temporis actus et instrumentorum principium fit in anno Incarnationis Domini millesimo nono decimo) duo fratres Deodatus et Bonizo pro anima Rocconis genitoris eorum tradiderunt in Monasterii proprietatem praediorum quod habebant in vocabulo Petaczano.

Temporibus huius Adae venit Henricus Imperator in Italiam, et quidquid de oppressionibus Monasterii Piscariensis per Monachos eiusdem loci scire potuit, augustaliter emendavit.

#### **XVI. ABBAS PETRUS.**

Tribus annis tantum Adam Abbas vixit, ex quo regimen suscepit, et mortuus est. Cuius in loco successit Petrus; qui cuidam Berardo Presbytero, et aliis viris eius sociis, concessit scripto praestariae de rebus Monasterii in Muscuso, vocabulo de Sancto Rustico, terras, et vineas, acceptis inde solidis decem et octo. Eodem anno mortuus existit quo fuerat Abbas institutus.

1023.

#### **XVII. ABBAS STEPHANUS.**

Deinde fratres eiusdem Ecclesiae elegerunt Stephanum, qui coepit abbatiari anno Dominicae Incarnationis millesimo vicesimo tertio. Tunc enim quidam Adam, filius quondam Roccae, tradidit pro anima sua Sancti Clementi medietatem omnium rerum suarum, quas habebat per loca et vocabula, Petaczano, Vadulato, Stabuli, Vico, et Raianello, sicut in chartula continetur. Fecit etiam Stephanus Abbas tempore suo praestarias, videlicet cuidam Iohanni concessit de rebus in Breliano acceptis inde solidis triginta.

Decem homines erant in Villa, qua vocatur Inter-aquas, posita in Valvensi Comitatu, quae Villa erat iuris Monasterii Sancti Clementis a priscis temporibus. Qui homines videlicet Suppo et Sabinus, et reliqui, quorum nomina chartula tradit, pervaserant possessiones Sancti Clementis habitas in Valle Mesera supra ipsam Villam. Unde cum easdem possessiones tenerent, et inde nollent Ecclesiae servire, Stephanus Abbas coegit illos in causam venire, ac infra Civitatem Sulmonem, ubi Beraldus Comes Valvensis, et Berardus frater eius, cum multis aliis nobilibus viris, atque Provinciarum Iudicibus in placito pro iustitia facienda praesidebant, confutavit acque devicit; et faciens illos consessos in ipsi Ecclesiae rebus nihil iuris habere, a possessionibus habitatione proiecit, et terram ipsam in iurisdictionem Ecclesiae convertit.

#### **XVIII. ABBAS PEPARUS.**

Stephanus autem Abbas cum uno tantum anno esset in regimine, in secundo accepit moriens temporalis finem vitae. Cui successit Peparus, cuius actus nesciuntur, quia neque chartulis, neque opinione reperitur quid fecerit, vel quantum vixerit, verum nomen eius post Abbatem Stephanum in catalogo ponitur, et in fine libri primi nomine tenus tantum describitur.

Iam vero Piscariensium Abbatum successio ad Domnum Guidonem pervenit, ipsique contradit Monasterii pondus. De quo quia plura sumus locuturi, aliquantulum pausare debemus, et dare fessa membra quieti, ut ad loquendum de tanto viro paratiores possimus inveniri.

*Explicit Liber Tertius.*

## LIBER QUARTUS.

### XIX. ABBAS SANCTUS GUIDO.

Refocillati aliquantulum a longo labore excutiamus torpida membra nostra gravi sopore, et arrepto stylo de Sancto viro Guidone, sicut promisimus, incipiamus tractare. Verumtamen aliquantulum superius habemus sermonis initium, ut decentius perveniamus ad eum locum, ubi fuit electus, et accepit curam Ecclesiae atque ducatum. Incuria quorundam Abbatum, et inreligiositate Fratrum, ad tantam miseriam devenerat Sancti Clementis Piscariense Monasterium, ut pauci numero vix possent invenire qui eis praesesse vellet; ita erant oppressi, et nomen Abbatiae paene perdidit eorum Coenobium. Quid facerent? hostes erant in capite a quibus circumvallabantur undique, nec eis erat facultas si possent aut vellent Insulam egredi, quia pontem subverterant, et in locis opportunis insidias posuerant illi, qui Castella Ecclesiae pervasa tenebant ipsorum et Dei manifesti inimice. Ignorabat emim, eos Curia Imperatoris, quia iam plures anni transierant, ex quo non fuerat frequentata a quolibet Abbate, vel Nunciis illius Abbatiae. Unde factum est, ut pervasores eorum securi tenerent quod Ecclesia diu possederat ex dono Sanctae recordationis Ludovici, et emptione Abbatis Romani, et nimis expensi Adae venerabilis et auctoris illius Coenobii. Tandem inuito consilio elegerunt de Fratribus quosdam, qui per medios hostes irrumperent, et ad Curiam Domni Imperatoris Henrici, qui succederat Ottoni tertio, tendentes lachrymabili voce et singultuosa ei miseriam Ecclesiae panderent, et pervasionem, inimicorum, nuditatem Fratrum, dolorem Conventus ex Abbatis absentia demonstrarent. Qui egressi portaverunt literas, quae adhuc in Ecclesia ipsa habentur, et coram praefato Imperatore legerunt, et non solum eum, verum etiam omnes audientes et astantes ibi ad lachrymas usque ex relatione et miseria Fratrum perduxerunt. Quarum literarum exemplar talis est.

### EPISTOLA

*Monachorum Casauriensium ad Henricum  
Imperatorem.*

“Serenissimo, atque Illustrissimo, nec non a Deo coronato, a nobis summa cum veneratione nominando, Domno Henrico gloriosissimo Romanorum Imperatori Augusto, atque Dominae Agneti luculentissimae, sagacissimaeque Reginae, una cum eorum sobole, Sanctae Trinitatis Coenobii Fraternitas tenuis, quicquid servi Domino. Quamvis Sancti Clementis Piscariense Monasterium ad multam miseriam devenerit, tamen hos mittit apices lugubres: Vae, vae miserae ac miserabiliter repudiatae Aureae Insulae, quae antea bene aurea, nunc vero omni amaritudine oppressa, et paene iam desolata suis ex delictis, culpaque cuiusdam Regentis. Fuit denique ante hos annos quidam Gislebertus nomine, Monachico habitu coloratus, sed non opere, cum uno oculo lusco, sed mente omnino coecatus, tamen non sua sponte accepit Abbatiam, sed parentes eiu cum Comite Transmundo ordinaverunt eum Abbatem; et propter quod extra voluntatem eius ordinatus est, concambiavit, et dissipavit totam Abbatiam, in tantum, ut paene nil remaneret de praediis Monasterii; Verum etiam pontem, qui multum necessarius est ibi, eo quod terribilis sit aqua ad transmeandum, ab illa hora nunquam firmiter potuit habere praedictum Monasterium, sed quasi in carcere quotidie stamus, et cum grandi miseria pertransimus aquam, et multi moriuntur ibi propter periculum vadationis. Hoc malum Sanctissimus Henricus optime emendasset, si non fuisset unus malus Monachus, qui non permisit reclinari praedicti Seniori, tamen quod scivit, honeste emendavit. Ad istum namque moeroris cumulum alius accedit, quia quae restauravit praedictus Imperator de praediis Coenobii, a nostris vicinis plura invasa sunt. Nomina illorum dicuntur, Sanso cum filiis suis tulit Castra de praedicto Monasterio, Castellionum, Bectorritam, Roccam Soti, Petaxcianum: filii Alberici Curtem de Tocco et ipsam Insulam de praefato Coenobio et ipsa molina, quae ibidem stare videntur iuxta portam Monasterii, et contendunt nobis ligna de montibus, quos Ludovicus Rex eidem Monasterio delegavit, et alias multas oppressiones nobis faciunt. Alios de nostris Monachis caederunt, atque alios expoliaverunt. Filii quondam Luponis tenent Curtem unam quae nominatur Zappini modiorum mille. Adam filius Ioannis tulit de ipso Monasterio terram sexaginta modiorum, quam Adam medicus per chartulam delegavit. Transmundus filius Bernardi Curtem de Ocretano, cum ipsa Ecclesia Sanctae Iustae; et in Cerana et in Mascufo. Sed quid multa? si omnia voluissem scribere, antea dies deficeret, quam possem comprehendere quantae miseriae circumdati sumus. Qua propter, o Caesar Invictissime, uni cum Domna nostra, et vestris pollutibus filiis per Christum Dominum flebilis precatur turmula Aureae Insulae, ut opem feratis perditae, ut, si neglexeritis, Imperio animaeque vestrae periclitemini. Periculosum est enim tempore si omnino deficiat sub vestro locus iam dictus, in honore Sanctae et Individuae Trinitatis, Beatique Clementis Martyris constructus a Domno Ludovico piissimo Imperatore. Nunc ergo zelo Dei accensi attendite quanto grex vester invalidus distractionis pondere sit pressus, qui refrigerium petit a Christo, et a vobis, qui secundum Deum regitis seculum. Ipse vos ubique custodiat, quem Angelicus Chorus semper adorat.”

Domnus autem Imperator tunc temporis circa loca Farfensis Ecclesiae morabatur cum grandi exercitu, quo erat Apulos et Troianos expulsurus, qui faventes quibusdam Normannis, qui eos deceperant, et sibi subiugaverant noti virtute, sed vitio

illius gentis, rebellari nitebantur Romanis. Hic ut audivit quia Fratres carebant Abbate, et idcirco ad nihilum deducebantur et devastabantur possessiones Ecclesiae, habuit consilium cum Baronibus suis, et accersito Abbate Farfensi, requisivit, si esset in Monasterio illo aliquis Monachus amator religionis, custos Monastici propositi, eruditus litteris, et nobilitate preclarus. Et cum audiret famam Widonis celebrem non solum inter Monachos, verum etiam a popularibus et forensibus praedicari, petiit eum ut sibi daretur, et Ecclesiae Piscariensi quae viduata Pastore erat, Pastor eligeretur; Qui cum se indignum et minus idoneum, ut moris Santorum virorum est, proclamaret, et ut quietam vitam eum ducere fineret, profusus pedibus Abbatis cum lachrymis oraret, traditus Fratribus ad utilitatem Monasterii eligitur, et Abbas Sancti Clementis Piscariensis licet invitatus instituitur. In quo officio quantum ipse pro Ecclesia sibi commissa laboravit, quanta abstinentia corpus perdomuit, quam modestus in exhortando, severus in corrigendo fuit, liber, qui de eius vita scriptus habetur in Monasterio, vera assertione, quamvis humili stylo, manifestare non desinit.

Traditus itaque Fratribus, et cum grandi honore et iussu Imperatoris ad Monasterium usque perductus, cum videret ruinam parietum, et fracturas domorum, pane et vino penum vacuum, nudos fratres, destructum Monasterium, paucis diebus ibi commorans, sumptis privilegiis et chartis revertebatur ad Imperatorem; Sed antequam veniret ad eum, audivit de morte eius.

1025.

Antea vero quam proficisceretur, cum esset in Monasterio novus Abbas, in anno videlicet ab Incarnatione Domini nostri Iesu Christi millesimo vigesimo quinto, quaedam possessiones datae fuerunt Piscariensi Monasterio, quae scriptae sunt ad notitiam posterorum, et in chartulis habentur. Nam in territorio Teatino dederunt quidam pro redemptione animarum suarum per manus Domni Widonis Abbatis de rebus proprietatis suae: videlicet quidam Lupus quasdam res in Beloniano, et quidam Giso Presbyter, et Lupus filius quondam Deodati, quasdam res suas in Tocco, per loca et vocabula, videlicet Plaia-perronis et Spineta.

1026.

In sequenti viro anno Dominicae Incarnationis millesimo vigesimo sexto, quidam vir, nomine Adam, per chartulam tradidit, atque disposuit pro anima sua Sanctae Trinitatis et Beato Clementi Ecclesiam, quae dicitur Sanctae Mariae de Loro, cum omnibus rebus suis et possessionibus, quemadmodum in eadem chartula legitur; quod castrum videlicet Lorum est in ipso Teatino Comitatu.

Recuperavit etiam legali iudicio Domnus Wido Abbas super quemdam potentem virum sui vocabatur Albizo, quasdam possessiones in loco, nomine Superone, pertinentia de Alanne, et in pertinentia de Tocco terram quinquaginta modiorum reacquisivit, per ipsam iudicalem sententiam, quae possessio est in planitie iuxta Piscariam, in loco, ubi dicitur Undula.

Dedit etiam Siolphus quidam possessionem quamdam in loco, nomine Vico, qui Vicus a principio foundationis Monasterii Piscariensis fuit de iure Beati Clementis, sed postea translatus fuit in castrum, nomine Castellione, quondam ab Adam Abbate ad ius et proprietatem Sancti Clementis aedificato, sicut in superioribus scriptis habetur. Nam eo tempore tenebant ipsum Castellum Sanso et Guaterius, filii Rainaldi, et alia Castella, videlicet Roccam de Soti Bctorritam, et cetera, quae ab ipso Abbate Adam temporibus Augustae recordationis Domini Ottonis gloriosissimi Imperatoris, ad profectum Monasterii Sancti Clementis fuerant aedificata. Sed cum ex negligentia et culpa quorundam Abbatum Piscariensis Abbatia soter imminuta, et potentia eius attenuata, tota terra a supradictis Baronibus fuit pervasa, qui tenebant ipsas possessiones, quae cum ex antiquo iure fuissent Beati Clementis, postea ab ipsis usurpatae abusive, fuerunt appellatae Sansonicae, ex nomine ipsius Sansonis.

1027.

Millesimo vigesimo septimo Sifredus et Rainerius quidam homines auxerunt quasdam res proprietatis suae in possessionem, quam Ecclesia Sancti Clementis ex antiquo iure tenebat in loco, nomine Coronule.

Post mortem igitur primi Enrici Imperatoris, de quo supra locuti sumus, cum Domnus Wido Piscariensis Abbas audiret, quia alter positus esset in loco ipsius, nomine Chuonradus, iterum sumptis chartis et privilegiis profectus est ad eum. Qui gloriosus Imperator eundem Abbatem cum magna reverentia suscepit, privilegia et chartas coram se legi fecit, quod postulabat implere studuit, novoque privilegio quae data in Monasterio fuerant ab antecessoribus suis confirmavit hoc modo.

## PRAECEPTUM

*Chuonradi Imperatoris de libertate et rebus  
Monasterii Casauriensis.*

“ In nomine Sanctae et Individuae Trinitatis, Chuonradus divina favente clementia Romanorum Imperator Augustus, cum petitionibus servorum Dei iustis ac rationabilibus divini cultu amore faverimus, et opportuna beneficia largimur, praemium nobis aeternae remunerationis rependi non diffidimus. Quo circa omnium Sanctae Dei Ecclesiae nostrorumque fidelium praesentium videlicet ac futurorum comperiat solertia, qualiter Wido venerabilis Abbas Monasterii Sanctae Trinitatis, ubi Corpus Beatissimi Pontificis et Martyris Christi Clementis reconditum est, in Comitatu Pinnensi, in Insula, quae Casa-aurea vocatur, nostram adiens praesentiam ostendit nobis nostrorum antecessorum Regum, vel Imperatorem praecepta eidem Monasterio facta, atque suppliciter postulans, quatenus pro ipsius Sanctae et Individuae Trinitatis, ac testis eius Clementis

amore, eadem praecepta, nostra Imperiali ac praeceptali auctoritate confirmaremus. Nos vero eius iustis postulationibus assentientes confirmamus iam dicto Monasterio quicquid in superioribus continetur praeceptis, prout iuste et legaliter possumus, videlicet quicquid habere videtur infra Romanam Urbem, sive extra ipsam *et cetera ut in superioribus praeceptis*.

Et quicquid de praedicti Monasterii possessionibus Fiscus noster sperare potuerit, totum nos pro aeternae remunerationis praemio Monasterio concedimus, ut in alimonia pauperum, et stipendia Monachorum ibidem Deo famulantium, nostris, futurisque temporibus semper proficiat in augmentis, et cetera.

Concedimus etiam, et Imperiali auctoritate praecipimus, ut in quantum praefata Insula tenere videtur, nulla fiat habitatio cuiusque ordinis vel dignitatis, exceptis qui ibidem Deo deserviunt, et his qui illis servituri sunt. Quod si aliquis huic nostrae praeceptioni contraire voluerit, et per annum integrum ibi permanserit, absque dubio servus ipsius loci deinceps permanebit. Insuper concedimus, ut nullus homo audeat respondere mallaturam Advocato eius. Et si aliquo tempore aliqua intentio contra idipsum Monasterium exorta fuerit, non per viliores, sed per nobiliores et veraciores homines diffiniatur ex utraque parte. Si quis igitur et cetera.

Et ut haec nostra Imperialis auctoritas firmior habeatur et diligentius observetur, manu propria roborantes, praesentem paginam sigilli nostri impressione inferius iussimus insigniri.

Signum Domni Chuonradi Serenissimi Imperatoris Augusti.

Hugo Cancellarius vice Domni Haribonis Archicancellarii recognovit.”

1028.

Deinde idem Imperator Domno Widoni Abbati unum ex Ducibus suis Ugonem Comitem dedit. Cui praecepit ut Imperiali potestate sumpta restitueret Ecclesiae quicquid possederat, tam Castella, quam Villas, et non discederet ab eo, donec omnia possideret pacata. Qui veniens, antequam Monasterium ingrederetur, de ponte, qui fuerat subversus, querimoniam fecit, et in praesentia praefati Ducis intus in eodem Monasterio coram Episcopo Nuceriensi Dodone, et Episcopo Synogalliae Adelberto nomine, et coram Baronibus tam Pinnensis, quam Thyanensis Comitatus, quorum ibi maxima multitudo advenerat, in die statuta, videlicet die mensis Ianuarii, anno Dominicae Incarnationis millesimo vigesimo octavo, ita sancitum est, et confirmatum scripto per manus Widonis Abbatis, ut liceat Abbatibus Sancti Clementis ex illo tempore usque ad finem Mundi construere pontes ubicunque voluerint. Et qui in hoc facto eis contradicere tentaverit, persolvat mille libras auri mundissimi in thesauros Domni Imperatoris.

Peractis itaque pactionibus et confirmatis scripto, sicut supra diximus, de pontium aedificatione, Wido Abbas habuit altercationem et placitum coram Duce, quem missum diximus ab Imperatore, de possessionibus, quae erant circa Insulam Monasterio vicinae. Plures enim invaserant ipsas possessiones, et tenebant eas non de Deo nemque de homine. Qui autem fuerunt hi, cognoscant praesentes et posterit: Sanso et Walterius, filii Rainaldi tenebant possessiones, quae abusive fuerunt appellatae Sansonicae, ex nomine Sansonis. Theodinus et Gerardus, filii Alberici habebant Toccum cum tota Valle Caramanica, Senebaldus, Lupus, et Ubertus, filii Luponis, tenebant Sanctum Valentinum, et terram a flumine Lavini usque ad praedictam Vallem Caramanicam, et nolebant inde servire Abbati, neque servitoribus Ecclesiae; fortes enim erant et potentes, et mutuo se colligaverant, ut si unus invaderetur, omnes eum pro suo posse iuvarent Unde praedictus Abbas Wido nimium impeditus quia neque eos omnino pulsare, neque quas ipsi violenter tenebant eis auferre valebat, praefixit diem, eosque in placitum venire coegit.

Cumque multi advocati essent in praesentia praefati Ducis, et praedictorum Episcoporum, Synogalliae videlicet, et Nuceriae, nec non Berardi Spoletini Episcopi, et Walterii Furconensis et in praesentia Bernardi et Petri Iudicum Sacri Palatii, et Berardi Comitis filii Comitis Theodini, Attonis Comitis, et filii eius Alberici Comitis, Ugonis Comitis, et Offredi Comitis filii Monaldi Comitis, praenominatus Abbas habuit verba huiusmodi: *Domne Dux, et vos Domni Episcopi, Comites et Barones, qui ex praecepto Domni Imperatoris vocati venistis, audite me, si vobis placet, pro amore Domini nostri Iesu Christi: Monasterium istud, cui Deo volente praesideo, quod institutum fuit et fundatum a Sanctissimo Imperatore et victoriosissimo Ludovico, ita spoliatum est et nudatum omnibus bonis, ut servi Dei, qui in eo latitant vix habere valeant unde vivant diebus singulis, vicini nostri, qui nos pro Deo diligere et pro metu Imperatoris caros habere deberant, invaserunt possessiones nostras, occupaverunt Castella, quae Antecessores nostri cum magnis expensis ad tutelam Monasterii, et decus regni aedificaverant, nec ea nobis reddere volunt, imo de illis nos et nostros quos paucos nobis reliquerunt, expugnant. Alii Abbates qui ante me fuerunt, quoniam erant de carne eorum laesionem Ecclesiae patienter tulerunt. Ego vero, qui extraneus sum, qui in nullo habeo fiduciam, nisi in Deo Domni Imperatoris, tantum malum ferre non possum, obsecro et obtestor pro amore Dei, et reverentia vestrae praesentiae, illos qui hactenus debacchati sunt in destructionem et confusionem Ecclesiae Sancti Clementis et deiectionem nostrae Congregationis, reddant sponte quod male de nostro tenent, et non sperent me cedere nimis, quia paratus sum pro honore Ecclesiae meae sanguinem fundere, et pro nomine Salvatoris. His dictis obmutuit, et quod illi respondere vellent, sicut vir sapientissimus cum maxima gravitate diutius expectavit.*

Tunc illi in unum conglobati consilium acceperunt, et quod ex consilio acceperant uni pro omnibus intimare praeceperunt. Tunc ille iussus inquit: *Domne Dux, et vos omnes Episcopi, et Barones, qui praesenti interestis concilio, amicorum et consanguinorum nostrorum, qui revera una sumus caro, incoepi vobiscum loqui; et si defecero, sicut in hac terra est consuetudo, non est bonum quod ipsae propter meam simplicitatem damnantur, ipsi poterunt emendare si aliquid*

*minus fuerit nostro eloquio. Non indigemus multis verbis, petimus misericordiam et pietatem Domni Abbatis, ne velit proscribere filios nostros, qui fuerunt nati et nutriti sub alis et praesidio Beati Clementis: quod male tenuimus, bene tenere parati sumus: occupatores, pervasores vocamur, nos servos Monasterii et benefactores amodo et deinceps et fatemur et promittimus, et quicquid necessarium fuerit Ecclesiae tam in libris, quam in ornamentis, de nostro dare, et censum annuatim persolvere, et contra hostes, si aliqui contra Monasterium insurrexerint, nos pugnatos, et successores nostros scripto et sacramento confirmabimus. Ad haec Abbas respondit ex consilio. Non ego sum ex illis, qui blando possint decipi verbo, si funditus dimittitis possessiones, quas impie pervasistis, ego suscipiam sin alias, pro certo sciatis, quia nec angulum alicuius domunculae vobis dimittam; totum quod invasistis dimittite, et postquam dimiseritis, quod nobis placuerit, non pro censu neque affirmatione alicuius chartulae, et quandiu voluerimus, et res nobis dimissas ad profectum Ecclesiae nostrae trastaveritis, pro amore parentum vestrorum, et rogatu circumstantium pernuserimus.*

Illi metuentes magis Imperatorem, quam Deum, et cognoscentes Abbatis vigorem, et eius invincibilem animum, ad ipsius genua procumbentes, quicquid ipsi male invaserant in eius misericordia dereliquerunt, et iuraverunt, quod nec ipsi, nec successores sui, aliquid de illis possessionibus, quas praedictus venerabilis Abbas Wido sibi retinuerat, usurparent, et illis tantum, quae sua miseratione non pro timore eorum vel parentum suorum habenda concederet, contenti essent.

Quae autem retinuit Abbas in sua dominatione, et quae illis concessit ne iterum fiat altercatio praesenti scripto mandare curavimus. Retinuit sibi dominationem totius terrae, et in proprio munitiones, in quibus etiam suos misit custodes. Retinuit et pascua, molendina, sylvas, optima rura, decimas, Ecclesias, sepulturam, et alia omnia quaecumque ad dominationis pertinere videntur officia. Illis dimisit cetera, non sub iure dominationis, sed sicut petierant servili conditione habenda. Sanso vero, qui princeps quodammodo, et actor huicemodi seditionis, ut praenominatum est, fuerat, Ecclesiam quandam in terra Sancti Clementis, in loco videlicet, qui Blivisianus est appellatus, in honore Sanctae Mariae fundaverat, in qua contra ius et fas sicut alter Ieroboam suas aras erexerat, neque ad Monasterium Sancti Clementis funera tumulari finebat, illam Abbas Wido cum haberet in manu, et deberet et posset funditus destruere, non pro timore Sansonis, sed pro reverentia Sanctae Dei Genitricis, in cuius honore aedificata fuerat, integram consecravit; ibique quendam Monachum suum, nomine Franco, posuit, qui eidem Ecclesiae deserviret, et ad augmentum rerum non ad detrimentum studeret.

1029.

Quidam Gizo dedit in Valeriano maiore et minore, et in aliis locis et vocabulis, in fundo Aprutino possessionem ducentorum modiorum, cum ipso Castello Valeriano, et Ecclesia Sancti Iuvenalis, cum omnibus tenementis et pertinentiis suis. Rursus in Comitatu Teatino pro reverentia Domni Widonis Abbatis Ubertus filius quondam Senebaldi, refutavit, et per investituram reddidit Piscariensi Monasterio in manus eiusdem Abbatis omnem terram iuris Sancti Clementis, quam Wido, et Sifredo, et Senebaldus, filii quondam Luponis, acquisierant a prioribus Abbatibus in Zappino, et allis locis, et vocabulis, videlicet a Sancto Martino de plebe, quicquid continetur inter tria flumina, quorum nomina sunt, Orta, Lavinum, et Piscaria, anno Dominicae Incarnationis millesimo vigesimo nono.

Haec, quae supra diximus, et multa alia, quae subtraximus a praesenti pagina ne toedium inferre viderentur Lectori, data fuerunt Monasterio Piscariensi, et acquisita in tempore venerabilis Abbatis Widonis. Nomina quorum videlicet dantium, atque datorum videlicet possessionum scripta sunt, et habentur in chartulis ad notitiam posterorum.

1030.

Quidam Presbyter, Ursus nomine, aedificaverat Ecclesiam in honore Sanctae Mariae, in loco, qui Fasanaria appellatur, ibique posuerat Abbatissam nomine Giburgam, quae praeerat Congregationi Monachorum. In millesimo trigesimo Dominicae Incarnationis anno illam divino ammonitus instinctu subdidit Monasterio Sancti Clementis per manum Domini Widonis Abbatis, cum tenementis et pertinentiis suis, in locis et vocabulis, videlicet Casule, Mauro, Porcari, Lecto, Sancto Apollinari, Mortula, terra quidem sexcentorum modiorum, sicut in charta, quae est exinde facta, legitur.

1031.

In millesimo trigesimo primo anno ab Incarnatione Domini acquisivit Dominus Wido venerabilis Abbas in Comitatu Marsicano quandam Ecclesiam, in honore Beati Clementis constructam et dedicatam, in loco, nomine Callucu, cum omnibus pertinentiis suis, donantibus eam quibusdam viris Mainardo, et Alberto germanis pro animarum suarum redemptione: Cui Ecclesiae ad honorem Monasterii Piscariensis per manus eiusdem Abbatis augmentatae sunt plurimae possessiones a quibusdam fidelibus viris ipsius Comitatus, videlicet Dodone, Ponzone, Goffredo, Actone, Alberto, Francone, Mainardo, Maio, per loca et vocabula, videlicet Aniu, Pede de Monte, Cretario, Petre-late, Curiano, et valle de Ortucle, sicut tradunt chartulae, quae inde scriptae habentur in Piscariensi Monasterio cura aliis reconditae.

1032.

Praeterea in fundo Teatino est quidam locus, qui dicitur Oligetum, in quo a quibusdam viris, videlicet Ioanne, Gifone, Aifretlo, Maio, Petro, Benedicto, et ceteris eorum consortibus, fundata est Ecclesia vocabulo Sancti Silvestri: quam Ecclesiam communiter omnes pro remedio animarum suarum tradiderunt, et concesserunt: ad proprietatem Monasterio Sancti Clementis, cum omnibus rebus, et possessionibus suis. Et in anno Domini millesimo trigesimo secundo ipsam donationem chartula confirmant in manibus Domini Widonis Abbatis devotissime obtulerunt.

1033.

Per idem tempus vir Domini Wido Abbas tam pro sua religione, quam pro gloriosi imperatoris Chuonradi timore, florebat pace et quiete in Domino, sed ei diabolus invidens quosdam nefarios suae crudelitatis ministros, videlicet habitatores Sancti Valentini contra eundem Sanctum Virum armavit, et campum, qui proprie proprius Beati Clementis erat, et ad ius eiusdem Ecclesiae pertinebat, invadere fecit; unde saepissime vir summae mansuetudinis angustiatum Baronum turmam, et indigenarum aggregavit, quorum testimonio cum praefati nequissimi acquiescere nollent, tandem sententia prolata iudicio quod ipsi denegabant, et isti affirmare volebant, pugna terminari iudicavit, ut qui victus esset campum amitteret, et de ceteris minus credulus appareret. Hanc enim rationem Valentiniani videbantur habere, quia Piscaria antiquos cursus nota erat praeterminisse, et idcirco affirmabant quicquid intra eam et castellum continebatur haberi de eorum possessione. Venit dies in qua multitudo Baronum et plebis coadunari debebat, qui omnes uno ore affirmabant Abbatem iniuste niti, et agrum esse de pertinentiis Sancti Valentini. Quid plura? Beatus vir Wido, cuius spes tota erat in Domino, suos iussit insistere orationi, et pridie antequam pugna debebat fieri, solus media nocte egressus de Monasterio, comitante eum, qui semper iustus praesto est, Spiritu Sancto, venit ad fluvium, et alta voce dixit ad eum: *Adiuro te per nomen Domini nostri Iesu Christi, et per virtutem Beatissimi Clementis Praesulis et Martyris, ut sequens me ad priorem cursum revertaris, et Campum deseras, quem malignantibus non tua sponte, sed instinctu Diaboli delegasti.* Et ostendem signum baculo quem manu gestabat, quo illum fluere iuberet, tandiu secutus est Sancti Viri vestigia, donec campum dimitteret Sancto Clementi, et ad locum antiquum reverteretur, per quem cum magno impetu ad mare tendebat flumen, quod vocatur Piscaria. Mane facta, cum omnes, de quibus supradiximus, ad pugnam parati venirent, ut victori laudibus, vel victo, sicut mos populi, contumeliis insultarent, cum viderent campum ex parte terrae Sancti Clementis liberum remansisse, et fluvium per antiquos cursus ad mare tendere, cognoverunt non humanae virtutis, sed Divini iudicii miraculum esse; omnes in fletum proruperunt, et ad pedes Abbatis ceciderunt, dicentes una voce: *Nunc cognovimus, Sanctissime Pater, quia in te habitat Spiritus Sactus, qui per profetam loquitur (Isaia 6.2) SUPER QUEM REQUIESCAM NISI SUPER HUMILEM, ET QUIETUM ET TREMENTEM VERBA MEA? Vere tu in Coelis habitas, licet in terris videatur conversatio tua, non volebas quod pro te humanus sanguis effunderetur, magis petiisti ut Beatus Clemens quod sui iuris est in aquis operaretur: in aquis marinis habuit templum, Piscariae (flumini) praecepit, ut reverteretur ad antiquum cursum: per hoc cognovimus, quia Dominus Deus habitat tecum, cognoscimus reatum nostrum, petimus indulgentiam, habes in potestate tua, si velis extinguere vitam nostram subdimus tibi quaecumque possidemus, ne velis a nobis elongare misericordiam tuam.*

1035.

Vir autem Domini Wido pronus ad pietatem, ut vidit lachrymas, accepit misericorditer eorum petitionem, illos ammonens ne in terris Sancti Clementis aliquam illo tempore facerent invasionem, quia non erat mortuus, imo vivebat cum Christo, qui pro Christo gaudenter susceperat mortem: *Hanc noxam vobis condonet Onnipotens Deus, et custodiat vos, ne cadatis in peius, quia ulli malignando adaesistis, qui nunquam de vobis fuerit, nisi vos integros hauriat, satiatus.* His dictis regressus est ad Monasterium, et non pro tanto facto in tumorem elatus, sed magis humilis de die in diem proficiebat, et ad profectum ducebat gregem sibi commissum. Illi vero Domni de Sancto Valentino videlicet Lupus et Ubertus, et Wido, filii quondam Senebaldi, tanto miraculo exterriti de Deo timentes, pro reverentia Sancti Widonis Abbatis venientes, in praesentia supradicti Ugonis Ducis ante Abbatem renunciaverunt Sancto Clementi omnem possessionem de Zappini et Soliano, quicquid a tempore quondam Gislebertus Abbas parentes eorum pervaserant; ipsamque refutationem scripto et testibus legitime confirmatam in Monasterio Piscariensi reponendam ad memoriam posterorum detulerunt. In qua chartula ipsemet Ugo Dux et Marchio, pro maiori firmitate se subscripsit cum aliis nobilibus viris, qui ibidem continentur.

1036.

#### *Adelbertus ex Monacho Casauriensi*

##### *Eremiticam vitam agit.*

In tempore istius Widonis, de quo plura locuti sumus, quidam Albertus filium suum eodem nomine appellatum, Monasterio Sancti Clementis obtulit, et humiliter eum sanctis institutionibus, et ritu monastico erudiri rogavit: quem venerabilis Wido tanquam suum, et revera plusquam carnalem quia spiritualem filium suscepit, monuit, erudit, et in brevi ita perfectum reddidit, ut de Claustrensi Anachoritam redderet, de communi hominum coetu Angelorum consortem efficeret. Iste cum in Piseariensi Monasterio tanta religione proficeret, ut iam miraculis polleret, Sancto Patre Widone permittente, in monte, qui Blettenius dicitur, primitus solus habitavit, deinde ad convallem descendens in Pinne Ecclesiam Sancti Michaelis construxit; deinde Ecclesiam Sancti Eliae positam in fundo iuris proprietatis Sancti Clementis restauravit. Indeque hominum sequentiam fugiens in comitatum Teatinum transivit, in montem de Caramanico, ibique cum latere non posset, Monasterium Sancti Nicolai in pertinentia ipsius Castelli de Caramanico, in loco qui Civitatula dicitur, fundavit Ecclesiam Sanctae Crucis circa ipsum Castellum, in loco, qui dicitur ad Aquas putridas restauravit: omnesque supradictas Ecclesias suo Monasterio Sancti Clementis offerens subdidit.

Postquam vero in monte qui dicitur Ursa per aliquantulum temporis latuit, et ibidem occultus manere non posset, in Convallem deductus descendit, et in Comitatu Valvensi, in loco qui dicitur Eusinianus, Ecclesiam in honore Sanctae Trinitatis, et Sancti Quirici Martyris, cum pertinentia de Castello, nomine Pacentro, aedificavit, in quo diutius habitans multis virtutibus et miraculis, et tunc in carne et nunc in spiritu, claruit, sicut libellus de eius vita conscriptus insinuat. Ille

vero Sanctus Adelbertus antequam de Mundo exiret, eandem Ecclesiam cum omnibus quae ad illam pertinere videbantur Beati Clementi suo alumno tribuit, et in manus praefati Widonis venerabilis Institutoris sui donum ipsum charta confirmavit.

Peractis igitur omnibus, et in pace radactis pro quibus missus fuerat praefatus Dux Ugo, revertens ad propria, Widonem venerabilem Monasterio suo quietam manere, bonis temporalibus uti praecepit, et ipse reversus ad imperatorem singula pro ut gesta fuerant enarravit.

1037.

Imperator autem Chuonradus tunc temporis Capae morabatur, in quam Vigiliae Pentecostes ingressus, et in Pentecoste coronatus est Anno Dominicae Incarnationis millesimo trigesimo septimo, ubi supradicto Duce referente cum audisset quia bonum Pastorem Piscariensis Ecclesia Sancti Clementis Domnum Vvidonem haberet, qui factis et dictis omnibus comparibus suis lumen veritatis plenaria infundebat, gratias Deo reddidit. Indeque suam Epistolam plenam affectu, et continentem, quod ipsa Piscariensis Abbatia nulli nisi suo regio iuri esset reservata, quibusdam Baronibus, qui in ipsis literis nominantur, Monasterio vicinis transmisit corrigens, et suis minis illos exterritans, ut ab infestatione eiusdem Imperialis Abbatiae desisterent, quarum literarum exemplum tale est.

## EPISTOLA

*De Abbatia*

*Sancti Clementis Regali tantum  
servata dominio.*

“ Chuonradus Dei gratia Romanorum Imperator Augustus, Bernardo et filiis eius, Beraldo et eius fratribus Comitibus, et Rainaldis filiis, ac Alberici filiis, et Ioannis filiis atque Luponis filiis, salutem et gratiam. Quondam multum precando et tanquam Pater praecipiendo mandavimus, ut bona Abbatiae Sanctae Trinitatis, et Sancti Clementis Martyris, quae soli nostro dominio reservatur, causa Dei et nostris precipibus invadere cessaretis; sed non solum a malo facto cessavistis, sed priore peius fecistis. Unde vehementer admiramur, et ultra quam dici possit dolemus: cum neque pro Deo, neque pro me nostrae Abbatiae satisfecistis. Qua pro causa multum praecipiendo, et plusquam possit scribi, per hanc brevem nostram mandamus, ut si nostram bonam voluntatem vultis habere, et nostram salutem desideratis, ac nostri Imperii honorem, nullatenus refutetis Abbatiam nostram amplius praedando, vastando non laceretis, sed quam cito potestis quod graviter peccavistis nostrae Abbatiae emendetis, et similia non perpetretis, et meam bonam voluntatem omni tempore sclicitet habeatis. Quod si non feceritis, scitote me in proximo ad vos pro certo venturum, et vos et vestra bona in quantum potero per omnia dissipaturum. Praeter haec non omnia praecipiendo tibi Petre et Carbuncelle mandamus, ut mala quae nequiter nostrae Cellae Sancti Eliae usque modo fecistis, citissime, et per omnia emendantes, Deo et nobis placeatis, quod si nostra iussione satisfacere nolueritis, sciatis poenas, et ut ita dicam, intollerabile damnum in proximo me vivo passuros.”

Wido vero Abbas non propter hoc in gloriam est elevatus humanam, sed magis et magis se se humilians, totum Deo non sibi ascribebat, quod suum Monasterium in pace manebat, religio in eo florebat, inter fratres maxima caritas erat; nullus quod suum, sed potius quod alterius profectui esset, invigilando quaerebat; Pastorisque boni exemplo eruditi, unusquisque transitoria huius Mundi et vana gaudia despiciebat: et quia fallacem huius Mundi pacem reverendus Wido sciebat, armavit se, ut praecepit Apostolus, lorica iustitiae, et galea salutis, contra spirituales nequitas pugnaturus, rebellemque carnem perdomuit, et spiritui servire coegit, ieiuniis et orationibus intentus, pro Imperatore, pro Regibus, pro universali Ecclesia, populo videlicet Christiano, sollicitus cum lacrymis et singultibus iuges Domino orationes fundebat ut ipse, a quo omne datum optimum, et omne donum perfectus est, pacem a superis in terram mitteret; Rectores Ecclesiae conservaret, rebelles ad unitatem Fidei converteret. Et dum beatus vir favorem populi vitans, soli Deo vacare cuperet, exteriora negotia Fratribus Ecclesiae commendavit, de grege curam habens, quo eum duplici pabulo reficeret, verbo et exemplo.

1038.

Accidit, ut quodam tempore Trasmundus quidam Marchio cum magno exercitu per fines Sancti Clementis iter haberet, et dum, sicut iuvenum moris est, populares et rustici qui in eius Comitatu plures aderant, ad villas et ad Casalia causa depraedandi concurrerent; venerunt Alanum, quaesierunt cibaria sibi et exercitui necessaria, et nisi festinanter darent quod eis petebatur, Castellum illud subverterent, aut igne cremarent, atrocissime minabantur Oppidani vero quia non fuerat sibi imperatum ab Abbate, nec audebant in terra Sancti Clementis novas consuetudines ponere, ad portas concurrerunt, Castellum muniverunt, et se defendere deintus parantes, unum de caballis hostilis exercitus occiderunt Unde Marchio succensus ira suos miles armari iussit, et Castellum obsedit, centum aureos solidos pro redemptione equi expetens, qui vix decem valebat. Et idem ipse in prima fronte cum armatis peditibus versabatur, mortem, pericula, incendia, destructionem committans, nisi cito quod postulabat pretium sibi daretur. Venerabilis Wido hoc audiens Clastrum exivit, ad exercitum venit, Marchionem furore succensum mitigare humiliter studuit. Et cum videret quia nihil proficeret, ubi esset equus interfectus interrogavit. Quem intuens in acie deformam, vilem, et coniectum senio, et si non esset percussus gladio, per se citius moriturum, in conspectu totius vulgi, facta primitus oratione, conversus ad Dominum dixit: *Domine Iesu Christe, cui nihil impossibile est, qui dixisti discipulis tuis, quodcumque credenter petieritis, fiet; Matt 21. 22. Ostende virtutem tuam nunc etiam in hoc vilissimo animali, redde sibi vitam, quam tulisti, quia sine te nec passer potest ad terram cadere, ut*

*quiescat furor istius populi, qui subvertere, succendere destruere minantur (et, ut video, parati sunt) possessionem Beatissimi Clementis Martyris tui.* His dictis, accessit ad caballum, et tangens eum leviter cum virga, quam manu gestabat, dixit ad eum: *Surge, erigit te Dominas noster Iesus Christus; Vade incolumis, servi domino tuo, sicut fecisti hactenus;* confestim equus surrexit incolumis. Et hoc viso sedatus est furor Marchionis, et totius exercitus in res Monasterii debacchantis, et conversi ceciderunt proni ad pedes Sancti Viri, orantes, ut pro se preces ad Deum funderet, ne quod ipsi moliebantur iniuste facere, in eos iuste converteret. Sanctus autem Vir vultu placabili eis benedixit, et ut ab iniquitate discederent imperavit. Sicque factum est, ut illi sine laesione reverterentur ad propria, et terra, quam succendere minabantur, sub protectione Beati Clementis remaneret intacta.

1039- 40- et 41

Quidam nobilis et potens vir in Caramanico, nomine Thebaldus, audiens celebrem famam honestatis atque religionis Sancti Guidonis Abbatis, et hortatione suprascripti viri Dei Adelberti, contulit eo tempore pro anima sua Beato Clementi duas Ecclesias, Sancti Nicolai a Sancto Adelberto fundatam, Sanctae Crucis ab eodem restauratam cum omnibus rebus et pertinentiis earum.

His aliisque pollens virtutibus Wido Abbas Sanctissimus, intra Claustra Monasterii dum finem vitae suae sibi ostensum coelitus expectaret, per singulos dies ieiuniis et orationibus intentus aegrotare coepit, et statim advocatis Fratribus, et qua die, et qua hora moreretur, eis innotuit, dicens: *Ego Fratres, et Filii carissimi, sicut mihi ostensum est, viam ingredior universae carnis, commendo vobis transitum meum, ex hac vita egrediar in die, qua celebrabitur festivitas Sancti Clementis, in ea hora, qua in Missa recitabitur Evangelium, cum perventum fuerit ad illum locum ubi dicitur: EUGE SERVE BONE ET FIDE LIS INTRA IN GAUDIUM DOMINI TUI: ego in eodem momento absque ulla dilatione in manus nostri Salvatoris tradam spiritum meum, et credo, quia eius, cui fideliter deservivi, Beati Clementis in coelesti palatio habebo consortium.*

1045.

#### *Obitus Sancti Guidonis.*

Gravescente eius infirmitate advenit celeberrimus dies festivitatis praenominatae in qua se moriturum praedixerat, et antequam Missa inchoaretur, se portari fecit intra Ecclesiam, et sumpto Viatico, conversus ad Dominum expectabat sui exitus horam, quando Evangelium legeretur, sicut sibi fuerat repromissum; Fratres occupati in tanta solemnitate, et dolentes ultra modum de tanti Pastoris velocissima migratione fecerunt processionem, et expletis omnibus, sicut moris est in tali festivitate, cum Evangelium legeretur, in eodem momento, quo se mori praedixerat, cum a Lectore diceretur, EUGE SERVE BONE, astante populo et Clero, et, ut magis credendum est, coetu Angelico, tradidit spiritum, et quod diu desideraverat, et ad quod die noctuque suspirabat, vitae aeternae suscepit bravium, anno Dominicæ Incarnationis millesimo quadagesimo quinto, nono Calendas Decembris, eiusque memoriam solet celebrare Piscariensis Ecclesia die altero post Beati Clementis solemnitatem annuam. Sepultusque est in eadem Ecclesia prope Claustrum Monasterii, iuxta parietem in parte Australi, ubi se vivere in coelestibus probat quotidianis miraculis. Vixit autem in regimine annis viginti uno, mensibus sex, diebus viginti tribus. Non multo post tempore, post quam ad Dominum migraverat, multis virtutibus se vivere cum Christo declaravit: de quibus pauca memorabimus, quia ad alia memoranda properamus.

#### *Miracula eius.*

Quidam puer, nomine Placidus, Monasticis institutionibus in Claustro erudiebatur, qui postea multum proficiens ad profectum Ecclesiae, quod in pueritia didicerat cumulavit: is dum esset sub custodia, sicut moris est, Monachorum., quadam die acriter coepit febricitari, et dum ardore febrium incenderetur, et prope duceretur ad exitum, a Fratribus, a quibus pro morum honestate tenerrime diligebatur, deportatur ad tumulum Sancti. Confessoris Widonis, et fusa oratione pro eo cum fletu et suspiriis in eodem momento absque ulla dilatione surrexit incolumis, tanquam numquam fuisset vexatus febrium incendiis.

Alio tempore quidam Monachus, nomine Gerguinus, illa infirmitate, quae Gutta appellatur, graviter fuerat occupatus, ut in eius toto corpore vix aliquod sanum membram reperiretur; et non solum a seipso, verumetiam a multis de eius salute desperabatur. Rogavit deferri ad tumulum praedicti Confessoris Christi, ubi dum iaceret prostratus humi, confestim facta oratione sanus effectus est, et gratias agens suo Salvatori, devovit se de cetero in obsequium Beati Confessoris Christi Widonis.

Quaedam mulier gravem oculorum dolorem diutius passa, ad ultimum coeca effecta est, ita ut neque diem a nocte discerneret, neque aliquid aliud videre posset; adducitur suorum manibus ad sepulchrum Sancti Widonis Abbatis, et cum magno singultu eius auxilium postulans continuo lumen recepit, et quae tristis venerat cum magna laetitia ad propria remeavit; reddens gratias Deo pro salute recepta, et fideli servo eius Sanctissimo Widoni.

Multa alia sunt, quae Dominus Deus per Sanctissimum servum suum. Widonem quotidie operatur, quae singula a nobis si scriberentur, et fastidium generarent lectori, et fortasse incredibilia viderentur. Et quoniam, sicuti supra diximus, ad alia tendimus, haec, quae de Sancto breviter diximus, ut sufficiant breviter regitamus.

## XX. ABBAS FRANCO.

Huic successit Franco, qui vivens in regimine mensibus octo exivit de corpore, et antequam moreretur in tam brevi spatio temporis quidam Baro, nomine Petrus, dedit Ecclesiae Sancti Clementis et servitoribus eius Castellum quoddam, quod vocatur Ripa, cum Ecclesia Sancti Salvatoris, et hoc donum confirmavit scripto per manus Franconis Abbatis.

1046.

## XXI. ABBAS DOMINICUS.

Mortuo isto Francone, successit Dominicus in regimine, qui electus in Abbatem ab omni Congregatione consensu Imperatoris Henrici, venerabilis Chuonradi filii, et datus ab Abbate eiusdem Monasterii in quo fuerat ipse professus. Instrumenta vero chartarum, et ea, quae fecit in diebus Abbatiatus sui, incipiunt ab Anno Dominicae Incarnationis millesimo quadragesimo sexto, de mense Septembris. Quo anno, regni sui videlicet iam octavo, Rex Henricus venit Capuam, et Domni Dominici confirmavit electionem. De quo quia plura sumus locuturi, licet faciamus digressionem, ad eius electionem quomodo facta fuit, et in Monasterio quid egerit, enarrare decrevimus. Fuit de Monasterio Sancti Fructuosi, quod appellatur Caput-montis, vir religiosus, et eruditus arte medicinali; pro qua multum placuit Imperatori. Sapiens in rebus secularibus, valens in literis, et quod magis appretiandum est, sollicitus erga salutem animarum Fratrum subiectorum sibi. Quem omnes Fratres Casauriensis Monasterii propter sui honestatem, prudentiam, et vitae sanctitatem in Pastorem elegerunt, ipsamque electionem per manus Imperatoris, sicut supra diximus, scripto confirmaverunt. Quod electionis scriptum adhuc habetur in Monasterio Piscariensi, et sic est.

### *Scriptum Electionis Domni Abbatis Dominici*

“ In nomine Summae et Individuae Trinitatis. Nos denique cuncti Fratres Venerabilis Monasterii Sanctae et Individuae Trinitatis, atque Sancti Clementis Martyris, quod ponitur in Casa-aurea pari voto, communique consilio, a maiore usque ad minorem elegimus et praelegimus Domnum Dominicum Venerabilem Sacerdotem et Monachum, qui quondam fuit de Monasterio Sancti Fructuosi Episcopi et Martyris, quod dicitur Caput-montis, ad regimen praedicti nostri Monasterii, secundum praeceptum Regulae Beati Benedicti; quia scimus eum, largiente Domino, castum, benignum misericordem, doctumque lege Divina: nec non et consensu Domni Berardi Abbatis sui, simulque etiam Elelini Cancellarii prudentissimi Domni Enrici Imperatoris et Augusti tertii, ipsiusque pro fidelitate ac veneratione, cuius Monasterium praelibatum esse dignoscitur, et cuius etiam fidelissimus Abbas ipse probatur, nobis illum largitus est. His videlicet auctoritatibus roborati et conglobati, ut supra dictum est, ascivimus eum, atque promovimus ad Abbatis officium peragendum; ad utilitatem atque profectum nostri Monasterii, animarumque nostrarum salutem. Cui omnes in unum amore Dei inspirati, suaque dilectione, promisimus obedire cunctis diebus vitae nostrae secundum praecepta Regulae, suaque iussa imperia, favente Christo. Et ut haec nostra electio firmiter atque inviolabiliter permaneat, bono animo, spontaneaue, voluntate cuncti simul propriis manibus roborantes insignimus. Quam vero electionem a nobis factam praedicto Domno Henrico gloriosissimo Imperatori nostro dirigimus ut sua miseratione electum Patrem nostrum Imperiali dono, privilegiique largitate confirmet, quatenus a Deo pro hoc remuneretur, et a nobis omni in tempore fideliter veneretur, ac pro statu sui regni Deus Omnipotens nostris assiduis orationibus incessabiliter supplicetur.

Ego Frater Terremenolfo Monachus et Praepositus consensi.

Ego Frater Adelmari Presbyter et Monachus consensi.

Ego Frater Oddlo Sacerdos et Monachus in hac electione consensi .

Ego Frater Angelus Sacerdos et Monachus in hac electione consensi .

Ego Frater Adelbertus Monachus in hac electione consensi.

Ego Frater Ioannes Presbyter et Monachus in hac electione consensi.

Ego Frater Ioannes Presbyter et Monachus in hac electione consensi.

Ego Frater Landolphus Presbyter et Monachus in hac electione consensi.

Ego Frater Petrus Presbyter et Monachus in hac electione consensi.

Ego Frater Azzo Sacerdos et Monachus in hac electione consensi.

Ego Frater Azzo Sacerdos et Monachus in hac electione consensi.

Ego Frater Ardo Sacerdos et Monachus consensi.

Ego Frater Ioannes Sacerdos et Monachus consensi.

Ego Frater Petrus Monachus consensi.

Ego Frater Todaldo Monachus consensi.

Ego Frater Adelbertus Monachus et Presbyter consensi.

Ego Frater Azzo Presbyter et Monachus consensi.

Ego Frater Azzo Presbyter et Monachus consensi.

Ego Frater Giso Presbyter et Monachus consensi.  
Ego Frater Petrus Presbyter et Monachus consensi.  
Ego Frater Ioannes Presbyter et Monachus consensi.  
Ego Frater Benedictus Presbyter et Monachus consensi.  
Ego Frater Grimualdus Presbyter et Monachus consensi.  
Ego Frater Ioannes Diaconus et Monachus consensi.  
Ego Frater Mainardus Monachus consensi  
Ego Frater Azzo Monachus consensi.  
Ego Frater Giso Monachus in hac electione consensi.  
Ego Frater Amizo Monachus consensi.  
Ego Frater Tresedio Monachus consensi .  
Ego Frater Ioannes Monachus consensi.  
Ego Frater Giso Monachus consensi.  
Ego Frater Ioannes Monachus consensi.”

Eodem anno quidam vir nomine Suppo quondam Timmonis filius, divinitus inspiratus pro anima sua et parentum suorum, concessit et tradidit per manus Domni Dominici Abbatis Monasterio Piscariensi, et Ecclesiae Sancti Angeli, quae sita est in monte, nomine Apriano, quae etiam est Obedientia iuris Ecclesiae Beati Clementis, quandam Ecclesiam in honore ac vocabulo Sancti Nicolai, in loco, qui dicitur Cornisia: iuxta fluvium Gomanum constructam, cum omnibus rebus et possessionibus suis, terra videlicet modiorum centum quinquaginta sex, sicut testatur chartula traditionis eiusdem. Erant insuper eodem tempore duo fratres, viri nobiles et illustres, in Comitatu Aprutino, Adelbertus et Raimundus vocabulo, filii quondam Grimaldi, qui compuncti divinitus pro salvatione animarum suarum et parentum suorum, concesserunt et per chartulam tradiderunt Monasterio Beati Clementis unusquisque portionem suam de Castello de Sancto-vetere nomine, unusquisque medietatem de ipso Castello, cum Ecclesia, quae in honore Domini Salvatoris est aedificata, in loco, qui dicitur Presiano, et cum alia Ecclesia vocabulo Sancti Andreae constructa. Et unusquisque eorum medietatem de Castello Vecclo, et de Castello et Poio de Beczano, cum muris et carbonariis, cum Ecclesiis in eisdem aedificatis, cum omnibus rebus et dotibus earum, et cum omnibus aedificiis, et praementiis, et subiacentis eorundem castrorum. Quae est terra videlicet modiorum mille ducentorum, per loca et vocabula sua, quemadmodum in Chartulis exinde factis et testibus roboratis reperiuntur.

Post mortem vero supradicti Sancti Widonis Abbatis cum quidam ex Fratribus Monasterii Piscarensis, sicut supra legitur, accessissent ad Henricum Imperatorem, pro Domino Dominico Abbate sibi substituendo per illos, et praecipue per fratrem suum carnalem Domnum Guimarium religiosum Monachum cum supradictis Fratribus praedictae electionis legatione functum, ab eodem magnifico Imperatore Adelbertus Casauriensis religiosissimae vitae Monachus, qui ut supra retulimus, Sanctae Trinitatis Ecclesiam in Comitatu Valvensi, in vocabulo Placentro, construxerat, et eam in obedientiam Monasterii Piscariensis addixerat, privilegium impetravit de praedicto loco, in quo eadem Ecclesia posita est, qui Finianus dicitur, ut patet in privilegio Henrici Imperatoris sic descripto.

## PRAECEPTUM

### *Henrici Imperatoris de libertate et rebus Monasterii Casauriensis.*

“ In nomine Sanctae et Individuae Trinitatis, Henricus divina favente clementia Romanorum Imperator Augustus: Si servorum Dei petitionibus assensum praebuerimus, ad spem Divinae remunerationis nobis profuturum esse non diffidimus. Quapropter omnium Christi nostrique Fidelium tam futurorum, quam praesentium noverit industria, qualiter nos pro amore Divino animaeque nostrae remedio, tam ob petitionem venerabilis Adelberti Monachi, quam et germani sui Guimarii, de Ecclesia Sanctae Trinitatis, et Sancti Quirici Martyris, in vocabulo Placentro, in Comitatu Balbense, ubi Finianus dicitur: Concedimus eis ad habendum et possidendum ipsum praedictum locum, tam ipsis, quam et Abbati ipsorum. Ut nullus Dux, Marchio, Episcopus, Comes, aut Vicecomes, aut magna parvaque persona aliquam molestiam seu invasionem facere praesumat. Insuper concedimus eis praedictum locum Fimianus cum introitu et exitu suo, quod est a capite, sine Serra de Barbarano, pede sine ipso Rigo de Placentri, de uno lato sine ipso valle de Suge, ex alio latere Serra de Corviano, cum ipsa Furca cum omni pertinentia sua: et sunt in supradictis istis modiorum de terra quatuorcenti, et si amplius inventum fuerit, ad ipsam iam. dictam Ecclesiam pertineat, cum terris, vineis, aquis, aquarumque decursibus, piscationibus, molendinis, cultis et incultis, omnia et in omnibus, et quidquid de praedicti Monasterii possessionibus Fiscus noster sperare poterit ipsi pro aeternae remunerationis praemio concedimus. Et ut nullus mallaturam persolvat Advocato eius, et cetera *ut in superioribus Privilegiis.*

Signum Domni Henrici Secundi Romanorum invictissimi Imperatoris Augusti.  
Henricus Cancellarius vice Herimanni Archicancellarii recognovi.

Data Calendas Ianuarii, anno Dominicae Incarnationis millesimo quadagesimo septimo Indictione decima quinta; Anno autem Domini Henrici Tertii ordinationis eius decimo octavo. Regnantis quidem secundi, Imperantis primo. Actum ad Columna civitatem in Dei nomine feliciter Amen.”

In secundo anno quo Dominicus fuerat Abbas Sancti Clementis institutus, contigit Henricum Imperatorem venire Capuam, cui praedictus Dominicus Abbas ad Sanctum Flavianum in Aprutio perrexit obviam, et impetruit privilegium protectionis, munitionis, defensionis, ad instar eorum privilegiorum, quae data fuerant ab Antecessoribus suis. Quod privilegium servatur honorifice in Monasterio et descriptum sic est.

1047.

## PRAECEPTUM

*Henrici Imperatoris de libertate et rebus  
Monasterii Casauriensis.*

“ In nomine Sanctae et Individuae Trinitatis, Henricus divina favente clementia Romanorum Imperator Augustus. Si servorum Dei petitionibus assensum praebuerimus ad spem, Divinae remunerationis nobis profuturum esse non diffidimus. Qua propter omnium Christi, nostrique Fidelium tam futurorum, quam praesentium noverit industria, qualiter nos pro amore divino, animaeque nostrae remedio, tum ob petitionem venerabilis Abbatis Domini dicti Monasterii, Sanctae Trinitatis, et Beati Clementis Martyris inibi quiescentis. In Comitatu quidem Pinnensi, in Insula, quae Casa-aurea vocatur, iuxta praecepta praedecessorum nostrorum Regum ac Imperatorum quicquid iuste et legaliter visum est habere, Imperiali nostra auctoritate decrevimus corroborare, et confirmare quodcumque videlicet idem Monasterium videtur obtinere infra urbem Romanam, et cetera *ut supra in aliis Privilegiis.*

Signum Domni Henrici Imperatoris Secundi Romanorum invictissimi Imperatoris Augusti.

Henricus Cancellarius vice Herimanni Archicancellarii recognovi.

Data tertio Idus Martii, anno Dominicae Incarnationis millesimo quadagesimo septimo Indictione decima quinta. Anno autem Domni Henrici Tertii ordinationis eius decimo octavo. Regnantis quidem octavo secundi, Imperantis primo. Actum ad Sanctum Flavianum in Dei nomine feliciter, Amen.”

1048.

Cum quidam Litolfus quondam Ursi filius, eo tempore, idest anno Dominicae Incarnationis millesimo quadagesimo octavo, Ecclesiam quandam in honore Sancti Petri, et Sancti Martini constructam, in loco, cui vocabulum est in Colle de Casalecclo, in pertinentia de Castellione, possideret, timens de die mortis, et aeterno iudicio, pro animae suae redemptione tradidit et iudicavit ipsam Ecclesiam in Monasterio Beati Clementis per manus Domni Domini venerabilis Abbatis, cum omnibus rebus et possessionibus suis, et cum terra modiorum viginti quinque, sicut testatur chartula traditionis, exinde legitime facta, et testibus idoneis roborata, Monasterioque Pisciaiensi feliciter porrecta.

1049.

In tempore huius Abbatissae, anno videlicet ab Incarnatione Domini nostri Iesu Christi millesimo quadagesimo nono. Quo etiam anno Dominus Leo Papa ordinatus est, Indictione secunda currente: Domino quoque Henrico Augusto imperante, quidam vir erat in Comitatu Pinnensi possessionibus opulentus et divitiis floridus et potens, nomine Ottebertus, cognomine Fratellus, quondam Otteberti filius, qui compunctus gratia Spiritus Sancti pro remedio animae suae, et desiderio coelestis regni, dedit Monasterio Sancti Clementis legitima largitione: primo quoddam Castellum suum vocatum Ripa de Prata, cum Ecclesia Sancti Sylvestri ibidem aedificata, et cum casis et aedificiis, et omnibus rebus et pertinentiis atque subiacentiis suis: et cum terra possessionis modiorum trecentorum per loca et vocabula, quae in chartula reperiuntur. Dedit in eodem Comitatu et aliud quoddam Castellum, vocabulo de Sancto Mauro, cum eadem Ecclesia Sancti Mauri cum universis rebus, aedificiis, et tenementis, ac pertinentiis suis, et portu maris, et piscatione sua, et cum possessione terrarum modiorum mille. Fecit etiam de ipsis scripta, quae servantur in archiviis publicis ipsius Abbatissae. Fecit etiam inde solemnem investituram cum Adelsa coniuge sua.

Matrona quaedam, Teodorada nomine, dives et honesta mulier, quondam viri clarissimi Luponis filia, coniux cuiusdam illustris viri, nomine Iohannis, filii quondam Transarici, eo tempore sere ad mortem aegrotabat, quae a praedictio viro suo consilium et licentiam accipiens condidit testamentum, in quo divinitus compuncta pro mercede animae suae, et pro suorum, et genitoris, ac viri sui peccaminum redemptione, concessit et tradidit in Monasterio Beati Clementis de re sui iuris, suaeque proprietatis, videlicet terram, in pertinentia de Castello, nomine Moscusio, loco nomine Talliano, modiorum ducentorum, et Ecclesiam ibidem in honore Sanctae Iustae aedificatam cum universis rebus et pertinentiis suis.

In Aprutio quoque quidam vir dives, nomine Treseio, filius quondam Rammaldi pro animae suae salvatione donavit et tradidit, nec non per chartulam confirmavit quasdam res proprietatis suae Monasterio Beati Clementis: videlicet Castellum de Valeriano, cum Ecclesia in honore Sancti Iuvenalis ibidem constructa, et cum omnibus aedificis, rebus, et pertinentiis

suis, et cum possessionibus per loca et vocabula in eodem Valeriano, et in Occiano, Pastenis, Casaria, Waldo, Moniano, Fabricia, terra nempe modiorum sexcentorum, sicut eiusdem donationis charta declarat.

In eo tempore, quo Normanni devastaverunt Apuliam, et non sua fortitudine sed vitio gentis subdiderunt sibi terram illam, Papa Leo nonus cum Romano exercitu contra eos exivit ad pugnam, et in ipso conflictu inferior amisit gentis suae partem non minimam. Tunc ad eum perrexit Abbas Dominicus et impetravit ab eo privilegium contra Episcopos, Archiepiscopos, Comites, Barones, et contra omnes, qui in Monasterio Sancti Clementis aliquid iuris, dominationis, potestatis, vel in Ecclesiis ad eundem locum pertinentibus vellent habere, nisi ab iniqua petitione, et voluntate cessarent, quod excommunicarentur, et a liminibus Sanctorum segregarentur, benefactores a Deo exaltarentur, et eorum peccata dimitterentur, iste fuit primus Abbas Piscariensis Coenobii qui impetravit privilegium, sicut supra diximus, a Pontifice Romano, quod Antecessores sui vel habere non potuerunt, vel duxerunt pro minimo.

*Privilegium hoc editum in tomo 6. Italiae Sacrae  
loco suo iterum recudimus.*

“ Leo Episcopus servus servorum Dei. Dominico Venerabili Abbati Ecclesiae Sanctae et Individuae Trinitatis, quae est in Insula Piscaria, quae etiam Casa Aurea vocatur, ubi Corpus Beati Clementis Papae, et Martyris requiescit, tuisque successoribus in perpetuum. Convenit Apostolatu nostro digne petentibus benivola compassione succurrere, et poscentum animis alacri devotione impertiri suffragium; ex hoc enim lucri potissimum praemium a Conditor omnium Deo procul iubio promerebimur, dum piis petitionibus annuentes, ea quae distorta, vel iniuste sublata sunt, nostro pio fuerint sine dubio moderamine restituta atque directa. Quapropter tibi, Frater carissime, quem magis bona Ecclesiae tuae in quantum possibilitas tua obtinet, augere, quam minuere, vel destruere novimus, caritativa, ut oportet, dilectione in recta tua pulsatione aperimus ostium misericordiae Apostolicae, confirmantes, et corroborantes per sanctum summae nostrae Sedis privilegium, sine omni laesione, vel aliqua perturbatione obtinere Ecclesiam tuam omnia, quae usque modo possedit, vel modo possidet, vel possessura est imposterum. Unde ex Apostolica Apostolorum Principis Petri, et nostra, cuius vicem gerimus, auctoritate praecipimus atque interdiciamus, ut nullus sub nostri Apostolici regiminis iure degentium, scilicet, Imperator, Rex, Dux, Marchio, Archiepiscopus, Episcopus, Comes, vel Vicecomes, aut aliquis exactorum alicuius rei, tam Laicorum, quam Ecclesiasticorum, aut magna, aut parva cuiuscunque conditionis persona invadere, distrahere, violare, aut perturbare praesumat bona Ecclesiae in cellis, et castellis, in villis, ac praediis, vel possessionibus, et quae ubique in pagis, vel territoriis quibuslibet praescripta legalia, vel per praecepta possidet regalia. Si quis autem contra huius nostrae praeceptionis privilegium..... praesumpserit, aut praesumentibus consenserit, aut fautor extiterit, et non potius observare in integrum studuerit, et nostram Apostolicam hanc praeceptionem, interdictionem transgredi praesumpserit, sciat se auctoritate Beati Petri Apostolorum Principis, Coelorum Regni Clavigeri, nostroque anathematis vinculo, innodatum, et a Regno Dei alienatum, atque cum Diabolo, et eius atrocissimis pompis transgressorem, Sanctorum Patrum canonica traditione deputatum. Quoniam scriptum est, terminos Patrum nostrorum nulla auctoritate illicitae temeritatis transgredi praesumi; Et quia opportunitatis exigit ratio propter vos, et transgressores canonicae correctionis debere fraeno constringi: Illius insuper spirituali iaculo perdat animam, cuius temporali gladio Malchus amisit auriculam. Qui autem observator extiterit, ditetur dono Apostolicae benedictionis et ceteras BENE VALETE.

Datum X. Kalendas Iulii per manum Federici Diaconi, et Bibliothecarii, ac Cancellarii Sanctae Apostolicae Sedis, vice Domini Heremanni Coloniensis Archiepiscopi, et Archicancellarii, Anno Domini Leonis IX. Papae III. Indictione IV.”

Duo quidam viri Hilperinus et Longinus potentes, et in possessionibus locupletes, inter duo flumina, Gomanum et Plumba, per loca et vocabula, nomine Maranello, Occiano, villa Mayna, Montescico, in ipso Francisco, Perricara, Treio, terram cultam et incultam modiorum duorum millium, et duas portiones de Castello Mortule, cum Ecclesiis et tenementis suis, dederunt pro animabus suis Sancti Clementi, indeque confirmationis chartulas legitime facientes eas Piscariensi Monasterio feliciter obtulerunt.

*Dominicus Abbas simul et Episcopus  
Valvensis.*

Praeterea circa tempora ista dum Dominus Dominicus Abbas floreret in Monasterio, et fama eius bonitatis ubique divulgaretur, contigit ut Ecclesia Valvensis proprio Pastore viduaretur; et quia sine Rectore esse non poterat, iste solus ad eam regendam inventus est dignus. Quid multa? eligitur, consecratur, et Episcopus Valvensis, et Abbas Sancti Clementis insimul instituitur. In qua honoris celsitudine positus, monachilis non est oblitus habitus, sed servavit humilitatem, quam in Monasterio habere consueverat; pro qua humilitate, et Deo, et hominibus complacebat.

1056.

Igitur anno ab Incarnatione Domini nostri Iesu Christi millesimo quinquagesimo sexto, quidam Loterius, quondam Alberti filius, pro animae suae redemptione, suorumque parentum concessit et dedit per chartulam confirmavit, Monasterio Sancti Clementis, in loco qui nominatur Banio, medietatem de Castello de Sancto Eleutherio cum ipso Poio novem masis hominum, et terra modiorum octoginta, et cum ceteris rebus et pertinentiis suis, sicut eiusdem donationis chartula protestatur.

## XXII. ABBAS BERARDUS.

Per idem tempus cum Dominus Dominicus Valvensis Episcopus, et Piscariensis Abbas, esset in laboribus constitutus, et fortiter ipsarum duarum Ecclesiarum vigilantia fatigaretur, volens onus suum alleviare, tantique ponderis adiutorem accipere, propterea maxime, quia de curis et tumultibus Episcopatus sibi iam tanta succreverant, quod Abbatiae regimen et negotia detrimentum pati, et minor eius videretur profectus; habito consilio cum Fratribus, unum ex eis, Berardum nomine, sibi substituit, et ut suas ageret vices in regiminis, et Abbatius sede posuit, sibique nomen et officium Abbatis attribuit, reservata suo arbitrio summarum rerum potestate, et praecipuorum Monasterii negotiorum dispositione. Igitur Berardus cum, sicut dictum est, nomen et officium Abbatis suscepisset, fecit cambitionem cum Gregogrio Abbate Sancti Nicolai ad Trutinum, et dedit Ecclesiam, quam habebat Monasterio Sancti Clementis in Comitatu Aprutino, in loco, qui dicitur Valliscupa, cum trecentis modis terrae, et accepit Ecclesiam Sancti Mauri ad flumen, quod vocatur Tabe, cum totidem modis terrae.

In sinu praeterea montis, qui dicitur Ursa fuerat praeteritis annis in proprio fundo iuris Beati Clementis Castrum a supradictis Dominis Tocci aedificatum, in loco videlicet ubi erat lapidea area, indeque a suis constructoribus vocatum est castrum ipsum Lapidaria, quasi Lapidum Area, in cuius pertinentia fundaverunt in loco, qui dicitur Caprofica, Monasterium in honore Sanctae Trinitatis; quod cum contra Monasterium Clementis, et pro suo detrimento fuisset aedificatum, Dominus Dominicus Episcopus et Abbas fundatores eiusdem Ecclesiae, videlicet Gerardum, et Suabilum, quondam Alberici filios, Tocci dominos, ab iniqua voluntate et praesumptione convertit, ipsamque Sanctae Trinitatis Ecclesiam Piscariensis Monasterio subdere fecit: quam Ecclesiam de rebus et possessionibus eorum pleniter dotatam idem Episcopus cum Monachis Casaurierisibus solemniter dedicavit, et in obedientiam Monasterii Sancti Clementis perpetualiter addixit et consecravit. Possessionum vero eiusdem Ecclesiae quaedam duximus exprimenda vocabulis: primo est ipse locus in quo aedificata est terra modiorum quadraginta quatuor deinde possessionis terra per loca et vocabula simul collecta modiorum centum quinquaginta deinde Ecclesia Sancti Viti, Ecclesia Sancti Cassiani, Ecclesia Sanctae Mariae de Pesile, Ecclesia Sancti Nicolai de Cardia, cum omnibus rebus et tenementis earum. Possessio dotis Sanctae Crucis de Colle Rotundo, possessio de loco, nomine Guastu: insuper omnes homines de parte praedicti Suabili de Lapidaria, et de Tocco, et Cantalupo, et Valle de Caramanico, cum omnibus rebus et tenementis eorum, et debitilibus redditibus.

1061.

De quibus omnibus chartulas confirmationis facientes, per manus Domni Dominici Episcopi et Abbatis eas Monasterio Beati Clementis feliciter obtulerunt, anno videlicet ab Incarnatione Domini nostri Iesu Christi millesimo sexagesimo primo. Quo anno Dominus Alexander Papa ordinatus est; a quo Dominus Dominicus Episcopus et Abbas literas impetravit contra malefactores Ecclesiae Sancti Clementis; quae descriptae sic sunt.

## DECRETALIS EPISTOLA

*Alexander Papae II. contra malefactores  
Ecclesiae Sancti Clementis.*

“ Alexander Episcopus servus servorum Dei, nobilibus viris Trasmundo, Berardo, filiis Sansonis, salutem et Apostolicam benedictionem. Quoniam erga Monasterium Sancti Clementis piae devotionis studium vos habuisse, et ad eius honorem plerumque benefacta vos contulisse, a Confratre nostro Dominico Valvensi Episcopo, et eiusdem loci Abbate cognovimus, grates vobis et nostrae dilectionis benevolentiam per haec scripta mandamus. Sed quia Deus ad finem bonae operationis maxime respicit, et non incipientibus, sed in bona actione persistentibus, larga remunerationis praemia pollicetur et tribuit, rogamus, et ut carissimos filios vos admoremus, ut in Dei servitio, et in amplificando honore praefati Monasterii, vestri fides et studiosa devotio crescat, consilium, et ubi necesse sit, adiutorium, vestra nobilitas sibi exhibere studeat; quatenus per interventum Beati Martyris Clementis divinae protectionis gratia et Apostolicae benedictionis abundantia, in hoc seculo et in futuro vos protegat, et conservet. Illud autem vobis et omnibus, qui inter vos sunt notum esse volumus, quoniam quisquis ad iniuriam praefati Monasterii se erexerit, et Abbati, qui nunc ibi praesidet, suisve successoribus in regendis et renendis bonis Ecclesiae contrarius extiterit; nisi a tam nefanda et sacrilega temeritate se retrahat, et damna, quae Ecclesiae intulit, digna emendatione restituat, sine dubio Apostolicae maledictionis, et districtam nostrae excommunicationis ultionem super se venturam esse pertimescat, et ab omni Christiana communione se separandum esse expavescat.”

1064

Item Anno Domini millesimo sexagesimo quarto Bernardus quidam dedit Ecclesiae Sancti Clementis, cui suprascriptus Berardus praecerat, Sanctam Eufemiam de Cararnanico, cum centum modis terrae.

Ab hoc siquidem tempore coeperunt Fratres oblivisci Imperatoris Curiae, et Normannis depopulantibus totas terras non valentes resistere, primitus fuerunt subditi Roberto primo Comiti de Rotello, et post mortem eius Ugoni Malmazetto, de cuius persecutione, quam fecit Sancti Clementis Monasterio, sumus locuturi tempore suo. Illi, quos superius diximus, in praesentia Ugonis Ducis tempore Chuonradi Imperatoris fuisse devictos, et accepisse Castella per manus Domni Widonis Sanctissimi Abbatis sub conditione servili, obliti iuramentorum et Fidei, invaserunt possessiones, munierunt Castella contra Ecclesiam, et ut securiores eam possent opprimere, fecerunt sibi alios dominos, quorum auxilio et virtute tenuerunt quod

male invaserant, ad diminutionem loci et detrimentum totius Abbatiae. Berardus vero, ut postea patuit, Divino illis non potuit resistere, quia Deus ad confusionem terrae immiserat super eos Normannos, dominandi gentem avidissimam. Iste siquidem Berardus Abbas non invenitur in agendis multa vel aliqua magna fecisse, sed pauca, et antequam multa posset operari, dedit ei Dominus finem vitae. Sex annis rexit Monasterium, deinde moriens subivit mausoleum. Ponitur quoque inter Abbates post Domnum Dominicum, et post ipsum nomen eius scribitur in Catalogo. Post cuius mortem Domnus Dominicus, quamdiu supervixit, sicut antea curam habuit Abbatiae.

1065.

In quo tempore in Comitatu Valvensi Albericus, Iohannes, et Benedictus viri Valvenses, dederunt Sancto Clementi, et per chartulis confirmaverunt omnes possessiones suas in Castello de Pauperi, et in loco, qui dicitur Bocetum. Ipso namque tempore, anno videlicet ab Incarnatione Domini millesimo sexagesimo quinto, Sanso Rainaldi filius confirmavit per chartulam Sancto Clementi Ecclesiam Sanctae Mariae in Blesiano, cum trecentis modiis terrae, et eam in obedientiam Monasterii Piscariensis perpetuo subdidit.

*Obitus Dominici Abbatis, et Episcopi  
Valvensis.*

Igitur Domnus Dominicus Valvensis Episcopus et Piscariensis Abbas, in expletione vitae suae, et consummatione dierum suorum in caritate radicans et fundatus diligebat proximum tanquam seipsum, et Deum ex toto corde, tota anima, et tota virtute, in tantum, ut si tempus persecutionis adesset, libenter pro Deo sanguinem funderet, et quoniam martyrium non solum est quod accipitur sanguinis effusione, sed abstinentia vitiorum, et carnis miseratione, longum traxit martyrium; qui quamdiu vixit mortificavit membra sua secundum Apostoli dictum. Et quia Deus volebat eum de terris ad coelestia trahere, in Abbatia, quam regendam susceperat dedit ei finem vitae, et voluit ut cum Sancto Widone, cuius successor extiterat, in uno eodemque Sarcophago haberet locum sepultum. Obiit autem quinto Idus Martii, tempore victoriosissimi Imperatoris Henrici, accepitque a summo Iudice stolam immortalitatis, et coronam gloriae, illi sociatus in Coelis, cuius successor extitit, et in cuius sepulchro meruit sepeliri. Vixit autem in regimine Monasterii Sancti Clementis Piscariensis viginti octo annis, mensibus sex, diebus decem.

1072.

Eodem tempore Alexandro Papi defuncto, Ildebrandus Archidiaconus in Papam Gregorium est ordinatus, mense Aprilis, anno Dominicæ Incarnationis millesimo septuagesimo secundo.

1073.

**XXIII. ABBAS TRASMUNDUS.**

Post obitum vero Domni Dominici Valvensis Episcopi et Piscariensis Abbatis, eum Fratres diutius nollent sine Rectore manere, ne res Ecclesiae decrescerent, cum Clericis Sancti Pelini, qui similiter Pastore carebant, Romam tetenderunt, et habito consilio, cum non possent ad Imperatorem ire quia iam discordia et dissidium inter Romanam Ecclesiam et Imperium Teutonicorum parabatur, ad praesentiam Apostolicae Sedis processerunt, Agnitis itaque causis utriusque Ecclesiae in Romana Curia, Trasmundus quidam Monachus, nobilis vir, frater Oderisii, qui post Domnum Desiderium fuit Abbas Sancti Benedicti, in electionem eius utriusque concordantibus et consentientibus a Domino Papa Gregorio, et Monachis Sancti Clementis in Abbatem, et Clericis Sancti Penini in Episcopum honorabiliter est datus, anno ab Incarnatione Domini nostri Iesu Christi MLXXIII.

Qui Venerabilis Papa Gregorius in universali Concilio quod Romae celebravit contra Normannos, et alios invasores, de praediis et possessionibus Monasterii Sancti Clementis specialem sententiam multumque timendam taliter promulgavit.

**SENTENTIA A GREGORIO PAPA VII.**

*Promulgata contra pervasores possessionum  
Monasterii Sancti Clementis.*

“ Si quis Normannorum, vel quorumlibet hominum, praedia Monasterii Beati Clementis invaserit, vel quascunque res eiusdem Monasterii iniuste abstulerit, si bis vel ter admonitus non emendaverit, excommunicationi subiaceat, donec respiscat, et Ecclesiae satisfaciatur. Si quis praedia Beati Clementis ubicunque posita in proprietatem suam usurpaverit, vel sciens occultata non propalaverit, vel debitum servitium exinde Beati Clementi non exhibuerit, recognoscat se iram Dei, et Sancti Clementis velut sacrilegus incurrere. Quicumque autem in hoc crimine deprehensus fuerit eandem hereditatem Beati Clementis restituat, et poenam quadruplum de propriis bonis persolvat Quicumque Militum, vel cuiscunque ordinis, vel professionis persona, praedia Ecclesiastica a quocunque Rege seu seculari Principe, vel ab Episcopis, invitis Abbatibus, aut ab aliquibus Ecclesiarum Rectoribus suscepit vel susceperit, vel invasit, vel etiam eorumdem Rectorum depravato

sententioso consensu, tenuerit, nisi eadem praedia Ecclesiis restituerit excommunicationi subiaceat. Romae in universali Synodo praesidente Beato Gregorio Papa ab eodem promulgata, ab universali Concilio comprobata”.

Istae vero literae, quas inde fieri iussit, ab eodem Apostolico per eundem Dominum Trasmundum, a se iam Abbatem et Episcopum ordinatum, ad Conventum Ecclesiae Sancti Clementis sunt destinatae, ut observandae perpetuo cum privilegiis in Piscariensi Monasterio reserventur. Igitur cum Dominus Trasmundus Episcopus et Abbas esse ordinatus, regebat utramque Ecclesiam, et negotia utriusque separatim agebat, nam aliquando in Sancto Pelino, aliquando in Monasterio habitabat.

1074.

Cuius in tempore, anno videlicet Incarnationis Dominicae currente millesimo septuagesimo quarto, Indictione duodecima, quidam nobilis et illustris vir, Obertus nomine, quondam Guidonis filius, pro remedio salutis animae suae quicquid sibi pertinebat de Castello, qui dicitur Petrace de Sancto Valentino, Beati Clementis Monasterio tradidit, et per manus praedicti Abbatis confirmavit, indeque literas confirmationis fieri fecit. Abbas praeterea Trasmundus ut sapiens vir, dum plus studeret in praesentibus quam provideret futuris, in hoc facto Castellum, quod foris erat intromittens, aedificavit in Insula, et ipsum turre et moenibus circumdedit, viros et mulieres habitatores ipsius Castellum instituit; transitum suum et habitatorum eiusdem ante portas ipsius Castellum communem fecit: hac nocte occasione, quia Toccenses infestabant habitatores exterioris Castellum.

1075.

Praeter haec etiam sequenti anno, qui est ab Incarnatione Domini annus millesimus septuagesimus quintus, Rainardus, supradicti Oberti filius, eodem, et simile ordine ac tenore quo et pater eius, quartam partem sibi residuam de suprascripto Sancti Valentini Castello devoto animo Sancto Clementi obtulit, et chartulam confirmationis inde faciens Domino Trasmundo Abbati legaliter tribuit.

Iste siquidem Abbas cum esset Episcopus, et Ecclesiam Sancti Pelini miro opere renovasset, et etiam Sancti Phanphili Sulmonensem Ecclesiam iam renovare coepisset, quamvis possessionibus non extiberaret, imo, sicut supra, notavimus, detrimentum pateretur, tamen non fuit contentus humilitate prioris Ecclesiae quae fuerat aedificata a Ludovico imperatore in loco ubi ob hoc usque hodie dicitur ad Sanctos novos, aedificavit novam Ecclesiam, in qua coegit manere congregationem, volens ibi si tempus haberet, et Deus vellet, transferre Beatissimum Clementem.

1076.- 77.- 78. et 79

Veruntamen Deus eius nisibus obstitit, et quod ipse praedestinaverit ut homo, sicut in sequenti dicemus, evenire non potuit. Tunc siquidemolvebantur anni Dominicae Incarnationis millesimus septuagesimus sextus, et septimus, et octavus. In tempore etiam Abbatis huius et Episcopi, in anno videlicet ab Incarnatione Domini nostri Iesu Christi millesimo septuagesimo nono, quidam Spanus nomine dedit Monasterio Sancti Clementis pro remedio animae suae Ecclesiam Sancti Sylvestris, quae est in Caramanico, cum tenementis et pertinentiis eiusdem Ecclesiae, sicut in charta ab eo facta legitur.

Ugo namque Malmazettus videns novas munitiones fieri, et metuens ipsas fore impedimentum sibi, invaserit multa Castella, et munitiones, et maximam partem illius regionis finxit se amicabiliter velle habere colloquium cum Abbate. Tetendit insidias, illumque provisum, et minus cautum comprehendit, in carcerem trusit, et tamdiu ligatum tenuit, donec omnia nova aedificia dirueret, et habitatores rebus et utensilibus spoliaret. Postquam omnia sicuti sibi placuerat demolitus est, Abbatem solvit, et liberum abire permisit. Qui rediens ad Abbatiam cum eam nudam et bonis spoliata videret, et unde posset vivere in ea non inveniret, tristis et verecundus, partim quia destructum videbat quod aedificaverat, partim propter dedecus quod sibi grave illatum fuerat, postquam per octo annos praefuit Abbatiae, regressus est ad Sanctum Pelinum suum Episcopium, ibique paucis diebus postea vivens, reddidit carnis debitum, et moriens quinto Calendis Decembris, ibidem in Ecclesia Sancti Pelini meruit habere sepulcrum. Monachi autem in destructione Ecclesiae quae facta fuerat, ut praediximus, ab Ugone Malmazetto in tempore Trasmundi Abbatis Sancti Clementis, et Sancti Pelini Episcopi, per diversa loca dispersi, quando potuerunt reversi sunt ad Monasterium, et ante Corpus Sancti Clementis, quae pars sola Ecclesiae cum quatuor tantum veteranis Monachis integra remanserat, quos quatuor Monachos in ipsa Monasterii mutatione vixisse nostri maiores tradunt. Quia, nunquam recedimus a loco quem elegit Dominus, et in quo Dominus noster Beatus Clemens voluit requiescere, non enim sine Dei nutu hic Ludovicus Imperator Domino templum istud aedificavit, et ideo non aliter quam corpus sine anima poterit quis nos alibi transferre, quia potius mori volumus, quam hinc discedere. Cetera enim praeter locum ipsum, in quo supradicti quatuor Monachi ante Sanctum Clementem excubabant, vepres et urticae occupaverant, conglobati sunt ipsi Fratres, et desolationem Ecclesiae, depopulationem Monasterii lugentes, in dolore et aerumna ipso tempore permanebant.

1080.

#### XXIV. ABBAS ADAM.

Tandem quia sine Abbate esse nolebant, unum ex suis, Adam nomine, ipsius Monasterii praepositum in sedem posuerunt, eiusque auxilio ad restorationem Monasterii, si facultas ei daretur, desideranter invigilabant anno Domini millesimo octogesimo, Indictione tertia.

1081.

Anno igitur Dominicae Incarnationis millesimo octogesimo primo, quidam Benedictus de Castello Poperi, in eiusdem pertinentia dedit Sancto Clementi quasdam possessiones. Et quidam Dodo Presbyter quasdam alias in pertinentia de Tocco, per loca et vocabula quae in chartis inde ab eisdem factis, et Abbati Adae attributis habentur.

1082.- 83.- 84. 85.- et 86.

Elabentibus post haec annis ab Incarnatione Domini nostri Iesu Christi millesimo octogesimo secundo, tertio, quarto, et quinto. Anno etiam Dominicae Incarnationis millesimo octogesimo sexto, Indictione nona, quidam Ugo, genere Francus, pro anima sua et parentum suorum, dedit Sancto Clementi possessiones in territorio Teatensi, videlicet in pertinentia de Castello, quod dicitur Villamaina, sexaginta et sex modiorum, et faciens inde chartam confirmationis obtulit Monasterio, de quibus Abbas Adam fecit cambium cum Domno Rainulfo Teatino Episcopo, recipiens inde prope Monasterium in loco, qui dicitur Caniano, et ad Pontem Marmoreum, terras et vineas, et Plebanam Ecclesiam Sancti Petri, cum omnibus quae sibi pertinebant. Refutavit etiam idem Rainulphus Teatinus Episcopus Ecclesias, quas antiquitus habet Sanctus Clemens in Caramanico, et eas ab omni conditione, quas in eisdem se dicebat habere, liberas et absolutas Piscariensi Monasterio reddidit, sicut habetur in legalibus instrumentis inde compositis.

Verum quia nondum purgata erat iniquitas, nec tempora illa advenerant, in quibus Ecclesiae suae Deus, quam ineffabiliter opprimi sciverat, misereri debuisset, Abbas Adam et Monachi Sancti Clementis vix erigere caput valuerunt, et inter hostes degentes, quasi hostes essent, de suis miserabiliter tanquam non de suis vivebant. Et quia nemo est ex omni parte beatus, Dominus Deus, qui Sanctis semper presto est, ipsum Abbatem Adam permisit carnea voluptate aliquantulum superari, pro qua re, sicut fertur, Abbatia tota magnum detrimentum sustinuit, et terras illas, quas Ecclesia Sancti Clementis habebat in pertinentiis Tocci pro eius fragilitate irrecuperabiliter perdidit. Sex annis vixit in regimine, deinde migravit ex corpore.

#### **ADENULFUS ABBAS INTRUSUS.**

Post defunctionem ipsius tenebat Abbatiam quasi Capellulam unam praedictus Malmazettus, et non permisit quod Monachi crearent Abbatem, imo praeposuit illis quem voluit, et quamdiu sibi placuit, quendam Adenulphum non de ipsa Congregatione Monachum, quod Fratres sufferre non valentes ipsius Malmazetti praesentiam adierunt, et isto remoto de praepositura Monasterii, ut Abbatem sibi eligendi licentiam habere permitteret, rogaverunt; quos rumor insanientis vulgi in hoc opere aliquantulum iuivit; qui omnes acclamabant contra illum tanquam contra dissipatorem Ecclesiae, et Dei, et Sancti Clementis inimicum.

#### **XXV. ABRAS IOHANNES.**

Quid multa? datur eis potestas eligendi, et adiutorio divino elegerunt, et praeposuerunt sibi Ioannem quendam eiusdem Monasterii Monachum, religione et vita probabili notum, in cuius tempore magna Crux, quae est in choro Ecclesiae Sancti Clementis erecta, miro opere facta est atque depicta: quae in magna veneratione tam a Fratribus, quam a multis aliis habetur, eo quod ad honorem pretiosi ligni Crucis Christi circa sibi devotos multum sit exaudibilis. Fecit etiam Domnus Ioannes Abbas trabem, ubi Salvatoris Yconas, et imagines Prophetarum, et Apostolorum, passionem quoque Domini, et Agnum Dei, laudabili depinxit opere, ac in sublime levans super eiusdem chori ianuam ordinavit.

1093.

Sane Dominicae Incarnationis millesimo nonagesimo tertio, nobilis vir Rainerius, filius quondam Tribuni, obtulit Monasterio Sancti Clementis chartam quam fecerat de Sancto Gregorio, quodam Castello, et de Ecclesiis, videlicet de Sancto Martino, Sancta Maria de Melano, et de Sancto Flaviano, cum possessionibus terrarum mille modiorum in Aprutio.

1094.

Currente igitur anno ab Incarnatione Domini Nostri Iesu Christi millesimo nonagesimo quarto: Circa tempora vero ista Domnus Iohannes Piscariensis Abbas, pro morum honestate et sapientiae praerogativa, meruit Sancti Pelini sublimari in Episcopum, et Valvensis Episcopus effectus, cum videret persecutionem Malmazetti ingravescere, utile sibi credens esse consilium, coepit Abbatiae curam postponere, et magis de Episcopatu curare.

#### **XXVI. ABBAS GILEBERTUS.**

Malmazettus autem plus suum velle, quam Dei beneplacitum nisus perficere, quemdam suum Capellanum Gilebertum, nomine sub specie miserationis, et revera, sicut postea in facto patuit, spe spoliandi misit ad Monasterium Sancti Clementis, et praefecit eum ibi praecipiens palam, ut curam gereret Abbatiae, quomodo eam posset augmentare, clam insinuans, ut festinaret quam citius posset eam ornamentis et vasibus aureis et argenteis spoliare. Suspocabatur enim Malmazettus insidias de Monachis Sancti Clementis, et timebat, ne, si Henricus Imperator, qui tunc temporis in Italia et Romae potenti manu triumphare credebatur, ad has partes veniret, ob copiam eorundem thesaurorum, Piscariense Monasterium reconvaleretur, et ad suae libertatis excellentiam rediret. Quod et sorte contigisset, nisi esset propter metum eiusdem tyranni, et aliorum Normannorum, qui eis, et in tota regione potenter et cum multo terrore dominabantur, et etiam quia idem Rex Henricus Ecclesiae Romanae videbatur inimicari: Ille Gilebertus suscepit imperium, tenuit in mente consilium, et appropians ad Monasterium intravit sicut lupo sub tegmine agni paratus occidere, iugulare, depraedari, et paucis post diebus reversus est ad dominum suum cum infinita copia auri et argenti: abraserat enim cruces, fregerat thuribula et calices, nec pepercerat

testis aureis et argenteis, quibus tecta videbantur verba Salvatoris; de quibus namque thesauris Piscariensis Ecclesia Sancti Clementis copiose iam restaurata erat a tempore Sanctorum Abbatum, videlicet Domni Widonis, et Domni Dominici, et ceterorum qui inter bonos Abbates computantur. Invenerat enim ibi oves moribus simplices, ad occisionem magis paratas quam ad vindictam, quas metu territans, sicut diximus, sub specie Pastoris spoliavit Ecclesiam. Quid facerent? Pastorem non habebant, thesauros perdidierant, circum circa hostes suos potentes in possessionibus Ecclesiae debacchari cernebant qui eis misereretur qui ferret auxilium non inveniebant.

Taliter obstricti, afflicti cucurrerunt ad Tyrannum, et quae sibi acciderant, tanquam nescienti voce singultuosa retulerunt. Ille vero fingens se velle misereri, qui revera laetabatur cum malefaceret, et exultabat in rebus pessimis, dedit eis licentiam eligendi, quem vellent; non reddidit eis thesauros, quibus Ecclesiam repararent. Verum primitus accesserunt ad Dominum Iohannem Episcopum, rogantes eum ut sicut antea curam gereret Abbatiae, qui noti acquiescens eis, dimisit Abbatiam, tenuit Episcopatum.

#### **XXVII. ABBAS GRIMOALDUS.**

Erat quidam Monachus de Monasterio Sancti Vincentii, qui fama notus, nec multum literatus, de agricultura sollicitus, et in rebus secularibus studiosus, regebat Praeposituram Sancti Petri de Trite: istum siquidem, nomine Grimoaldum, de consilio et auctoritate praedicti Domni Iohannis Episcopi, Abbatem petiere sibi Fratres pauci numero, rebus pauperes, ad restorationem domuum, et ad reparationem Ecclesiae valde solliciti. Qui cum sibi datus esset, et locum desertum, et facultatibus et habitatoribus denudatum videret, voluntarie esset reversus ad Ecclesiam, de qua sumptus fuerat, si potuisset. Non enim videbat, nec invenire poterat unde ruinas Monasterii reparare valeret; fecit tamen quod potuit, expectans ut Deus visitaret Ecclesiam, meritis et intercessionibus Sancti Clementis.

Ugo Malmazettus, quem superbitem immoderatum, et pervasorem supra notavimus (cui non sufficeret, si in manu haberet, etiam totus Mundus) postquam Barones exheredavit, fugavit, expulit, et Castella eorum et possessiones sibi usurpavit, ad altiora tendens, quoddam Castellum munitissimum, Preze vocitatum, qua posset arte rapere disposuit. Abstulerat enim Domino praenominati Castrum quasdam alias munitiones, et laborabat adhuc sicut de pluribus fecerat, ut eum omnino proscriberet. Dominus autem Castelli sororem habebat pulcherrimum et sapientem nimis, quae auditu solo cognoscens mores luxuriosi Malmazetti, mandavit ei clam quod si vellet ad eam venire in convallem Castellum, haberet cum eo familiare colloquium, et si daret ei aliquem de suis Baronibus in maritum, faceret quod ipse habere posset sine sui laesione Castellum. Quod audiens Malmazettus gratulabunde suscepit, et ad locum quem ipsa posuerat cum paucis venit. Puella vera fratri indicaverat promissionem adventus eius, qui armatus cum militibus, et turba peditum secutus est puellam de longe, et inter dumeta occulte assequi suosque. Puella venit ad eum, et inter oscula lenibus verbis decipiens, fecit, ut recumberet in sinu eius. Peditum quam secum duxerat tenebat in gremio suo pedes ipsius, et dum puella cum lenone dulcibus alloquiis frueretur, abra involvebat circa calcaria longam camisiam, qua erat indutus, ut cum tempus esset, et vellet consurgere, non posset, quoniam foret impeditus. Frater puellae videns eum in gremio procumbentem sororis, cum armata equitum turba et peditum, ad locum cucurrit, eumque iacentem nec valentem cito consurgere comprehendit, ligavit, et antequam a suis posset auxilium habere in firmissima Castellum loca eum sub custodia posuit. Barones audientes quia captus esse Dei et hominum adversarius, unusquisque ad ea loca, quae Malmazettus violenter ac fraudolenter rapuerat, cucurrit, obsedit, obtinuit, et tamdiu ipse in carcere iacuit clausus, donec totam terram quam invaserat liberam redderet; et ipse sicut decens erat, nudus et pauper non in suo, sed in alieno vitam miseram actitaret. Habebat septem filios de uxore, quos omnes Comites et Duces proposuerat in terra non sui brevi facere, et quid de se existimaret si longius viveret satis est ad cognoscendum facile. Verumtamen Deus, quem ipse offenderat, et Beatus Clemens, cuius domum subverterat, auro, et argento spoliaverat, eum non permisit quod cupiebat factis implere, immo fecit eum gravissima torqueri infirmitate, qua ipse detentus occubuit: et eodem anno quo mortuus est secuti sunt eum moriendo quinque filii sui. Sicque factum est, ut in Monasterio quod spoliaverat haberet sepulturam, in eo loco ubi olim imago Sancti Clementis stans depicta erat, in crypta videlicet, quam Dominus Grimoaldus Abbas ibidem ob eius honorem construxit, atque depingere fecit ante ianuam meridiana subditae ipsius Ecclesiae.

1097.

Sane per idem tempus quidam Lieto, Presbyter de Tocco, fecit chartam traditionis et confirmacionis Piscariensi Monasterio de Ecclesia Sancti Comitii per manus Grimoaldi Abbatis, in anno Dominicae Incarnationis MXCVII.

Satis laboravimus in relatione miseriarum et desolationis Ecclesiae, in persecutione Ugonis Malmazetti, et eius deiectione, et quia bonum Abbatem Dominus Ecclesiae suae contulit, qui ad restorationem ipsius multum laboraverit. Postquam de morte adversarii quamvis pauca referentes aliquantulum satietati sumus, quiescamus paululum, ut recreati sequentis libri alacriori affectu sumamus exordium.

*Explicit Liber quartus*

## LIBER QUINTUS.

Electo itaque, et nondum consecrato Grimoaldo Abbate, post mortem nequissimi Ugonis, de quo superius pauca de multis memoravimus, surrexit alter nequior illo Wilielmus, Tassio vero nomine dictus, quia et fraudulentus erat, ex nomine rapacis bestiolae, amator terrenorum, quod signatur ex proprio nomine. Wilielmus enim amator terrenae sapientiae esse cognoscitur, si huius nominis ad purum Etymologia discutiatur; Wi enim Graece, Latine terra dicitur, *erma* Mercurius Deus sapientiae, sive somni vocatur. Itaque Wielmus adiectione duarum semivocalium, terra sapiens, vel sapiens terram, idest, terrena, nuncupatur. Hic totam suam sapientiam in acquisitione terrenorum primitis posuit, et in tantum debacchari coepit, ut malleus universae terrae crederetur; et non solum ab his, quos violenter sibi subdiderat, verum etiam ab eis, qui longe positi erant, sola crudelitate timeretur.

Iste cum teneret in Pinne Castellum Loreti, et in Balva Castellum Poperim, et saepe contra vicinos et circummanentes bellum gereret, valida persuasione ac venenata promissionum dulcedine, praedictum Domnum Iohannem Valvensem Episcopum illexit, et fraudulenter attraxit, dataque sibi quadam infirmiore praedicti Castellum Poperi, iuravit ei manu sua, quod si idem Episcopus concederet ei custodiam turris Bectorritae Sancti Pelini, et turrim Insulae Sancti Clementis et ut per terram utrorumque Sanctorum se suumque exercitum secure conducere, ut de ipsa pacem, et guerram vicinis suis posset facere, finita guerra, quam cum suis vicinis et maxime cum Marsicanis habebat, quam in brevi ex fortunatis bellis et consuetis victoris se terminare credebatur, non solum ipsas munitiones redderet, verum etiam totum Castellum Poperi cum munitionibus, et pertinentiis suis Sancto Pelino et Sancto Clementi, tanquam rem iuris eorum ex integra largiretur. Abbas enim Grimoaldus ipso tempore, sicut Vicarius praedicti Episcopi, donec consecraretur, Abbatiam gubernabat. Hac igitur sponsione, talique iuramento dexterarum Wilielmi Iohannes Episcopus securus factus, simplici animo, et sicut innocens, qui credit omni verbo, concessit ei unde postea deceptus fuit. Nam non post multum tempus ex tali intromissione cepit sibi Wilielmus Tassio ambas Ecclesias Sancti Clementis et Sancti Pelini, et terras earum tanquam proprias vendicare, et ex toto, qui a se praedictis munitionibus potentem videbat, suppedicaret. Ex huius itaque gravamine Grimoaldus aliquantulum coartatus, quia neque ad Imperatorem ire, neque quo maneret Imperator noscere poterat ( Normanni enim, qui totam terram illam invaserant, nec nomen Imperatoris audire volebant, nec ad illum quempiam ire finebant) quid ageret nesciebat, quia destructionem suae Ecclesiae, et eversionem quotidie videns, et reaedificare diruta non valens, ad lamentum potius, quam ad deledictionem corporalem provocabatur, totam tamen spem suam in Deum posuit, et ei humiles preces fudit, ut pacem Ecclesiae redderet, et inimicos, qui superbum caput extulerant, humiliaret.

Eodem tempore miseratione divina Ecclesia Romana bonum Pastorem habebat, Christianitatis amatorem, et Fidei defensorem, Sanctum Urbanum. Hic dolens, quia Saraceni occupaverant Sanctam civitatem Hierusalem, et Sepulchrum Domini, volens eam eripere manibus impiorum, et reddere pristinae libertati, praedicavit remissionem peccatorum, et vice sibi tradita a Deo omnibus dedit quicumque Hierusalem tenderent, et civitatem et terram transmarinam, quae a Sarracenis possidebatur, liberarent. Adiciens etiam hoc, ut si quisquam in via, sive in pugna, pro Christo moreretur, in numero Martyrum absolutus ab omnibus peccatis suis computaretur. Et dum totus Mundus post eum curreret avidus remissionem peccatorum accipere, et in numero Sanctorum Martyrum esse, contigit, ut hoc praedicans praedictus Summus Pontifex devenerit Thyetum, ibique perendinans non multis diebus, cum Episcopis et Baronibus de via Ierosolomytana habuit commune colloquium. Quod agnoscens Grimoaldus accessit ad eum, et expositis calamitatibus Ecclesiae suae, et destructione funditus; cum maxima reverentia a praedicto Papa Urbano susceptus est, et sub protectione Romanae Ecclesiae, quam hactenus Abbatia Sancti Clementis ignoraverat, quia ab Imperatoribus gubernabatur, meruit collocari.

1098. 99. 1100. et 1101.

Hic primus ab illo in Abbatem consecratus, baculum pastorem in loco sceptri regalis, quod Antecessores sui, et ipse ex dono Imperatoris in dextera portabant, suscepit: et ex illo tempore coepit securus intentus esse ad restorationem Ecclesiae et aedificiorum, ad reparationem possessionum perditarum: virgulta iam erant nata in ruinis Monasterii, quae fecit exirpare, et novos parietes erigi, et brevi spatio temporis, adiuvante sibi gratia Salvatoris, et meritis Sancti Clementis, reparavit Ecclesiam et officinas Monasterii, non in eo statu quo antea fuerant, sed sicut posse sibi datum est, et mellus existimavit. Sane quando ista fiebant, anni Dominicae Incarnationisolvebantur, videlicet millesimus nonagesimus octavus et nonus et millesimus centesimus et centesimus primus.

1102.

Praeterea in anno ab Incarnatione Domini nostri Iesu Christi millesimo centesimo secundo, fecit idem Abbas conventionem cum nobilibus viris de Marchia, videlicet cum Garendo Comite de Camerino, cum filiis Gozoni, et aliis hominibus, quorum nomina in chartis inde descriptis reperiuntur, de possessionibus in Camerino, et in territorio Firmano, videlicet in Lauro, Monte Opterami et Vestiniano, per loca et vocabula earumdem, et census quos annuatim inde ordinavit, omnia in ipsis instrumentis chartarum descripta manifestius habentur. Item Castellum de Faball, quod olim duo Fratres Cono et Sancto tempore Domni Dominici Abbatis per chartulam Piscariensi Monasterio dederunt.

1103.

Comes Riccardus de Manupllo in anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo tertio, rursus de ipso Castello chartulam traditionis per manus Domni Grinoaldi Abbatis fecit Sancto Clementi sicut suum fore, et ex suo dono illud largiretur.

Wilielmus igitur Tassio, qui secunda persecutione post Malmazettum in possessionibus Sancti Clementis et vicinorum magna violentia grassabatur, nescio quo ductus spiritu transmarinas partes adire voluit, et quod male invaserat non dimittens quietum quibus abstulerat, sed magis impediens, vendidit Riccardo Comiti domino Manupllo Abbati Sancti Clementis, Poperim, et Episcopium Sancti Pelini, pro mille bizantiis. Riccardus vero Comes cupidus Imperii, postquam emerat ab illo, qui sibi vendere non poterat iura Monasterii, cum magno Comitatu Insulam Piscariam venit, et ibi tabernaculum suum fixit, et quamdiu sibi placuit ibi manens, postquam bona Ecclesie superflue convivendo consumpsit, cum vellet regredi, dixit Abbati: *Nolo te latere, Abbas, quia nos mercatores idcirco tradimus aurum, ut accipiamus duplum, idcirco damus nostram pecuniam, ut ab his quae emimus triplici cum usura acquiramus eam. Novisti quia ego emi istam Abbatiam cui praees cum aliis paucis, mille bizantiis; voto ut in praesenti mihi restituas quod ad te pertinere videbitur de suprataxata pecunia; nolo ut me facias irasci contra te aliqua morula, statim solve quod praecipio, quia re expetcare vel ad momentum nec possum, nec volo.*

Cumque Abbas humiliter responderet se pecuniam non habere, et ei ostenderet ruinas parietum et destructionem Ecclesiae, ille furibundus, et extra se raptus, nec cedens Deo, nec honorem exhibens Martyri venerando, in haec verba prorupit: *Si in tibi posita die pecuniam praenomitam integro pondere non attuleris, ruinas, quas monstravisti, complebo, et postquam omnia destructa fuerit, quae fecisti, totius Insulae cum omnibus pertinentiis suis depulsis habitatoribus dominabor.* Haec dicens iter arripuit, et proculdubio facturus quod promiserat, si sibi licuerit.

Quid facies, Grimoalde Pater? rabies furibundi nunquam sedatur, nisi des quod postulat aurum. Quantus dolor, quanta miseria! Abbatia, quae hactenus fuit Imperialis Camera, modo datur pro pretio, sicut a mercatoribus venditur vilis ancillula. Ubi sunt fastus regales? Ubi sceptri magnificentia? Omnia ex te ceciderunt, sub iugo posita est, non es libera, ille te liberet, cuius in te continetur gleba. Quid multa? statuta die, communicato consilio cum Fratribus habitatoribus loci, cum habere non posset impositum sibi pondus auri, colligit animalia et pecora omnia, quaecumque potuerunt in possessionibus inveniri, et sumptis matribus cum vagientibus parvulis tetendit ad aedes tyranni, et quae duxerat offerens, dixit ei: *Haec sunt unde debent vivere pauperulae mulieres istae cum suis liberis, parce, ut parcat tibi Deus, noli terram Sancti Clementis in desertum redigere, depulsi habitatoribus loci, scias pro certo, quia si haberemus quod postulas, nulla esset cunctatio in reddendo, quia non volumus te nostro pro facto ad iracundiam provocare.* Ille vero, cuius animus igne succensus erat avaritae, non iudicavit Abbatem dignum responsione, imo extendens manum ad munera suscepit boves et pecora, nec illi dimisit ex omnibus, nec pueris, nec eorum matribus unde possent sustentari die una.

Abbas Grimoaldus reversus est ad Monasterium praeda dispoliatus, et magis dolens pro cultoribus agroria quam pro se vel Fratribus convertit preces ad Dominum, et effusus ante corpus Sancti Clementis dixit: *Domine memento nostri, etenim expectavimus, esto brachium nostrum in mane, et salus nostra in tempore tribulationis. Non gaudeat inimicus tuus duntius de praeda, quam fraudolenter abstulit famulis tuis: ostende virtutem tuam pro Ecclesia tua, ne ei dicatur: Ubi est Deus tuus?* His dictis siluit, et quod esset facturus expectavit; credebat enim fiduciam habens in Domino, quia Deus esset pugnaturus pro loco suo. Venit dies, in qua praefatus Comes Riccardus solemnem sibi iusserit epulas praeparari, et sedens in palatio, cum iam paene plenus esset ferculis, quae multa sibi fieri iusserat de praeda Sancti Clementis, cum adhuc ad mensam sederet cum Baronibus suis, vindictam Divinam sensit adesse sibi. Nam quaedam persona terribilis ei soti apparuit, induta veste Sacerdotali, et cum clava, quam manu gestabat, super caput illius maximum ictum dedit; quo ictu ipse statim et visum et auditum perdidit, et eiulans magna voce ad proprium lectum advectus est manibus servulorum. Ec cum inquireretur a mulieribus quid haberet, quare tam subito exclamavisset, ille recuperato auditu dixit: *Non videtis quod video? Iste Presbyter, qui hic astat, cum mazuca confregit uno ictu tempera mea, et elevato icto si me iterum percusserit, protinus egrediar de praesenti vita. Clemens noli me percutere, noli Clemens:* In his vocibus expiravit, et sensit quia ille non dormit neque dormitat, qui suos semper et ubique custodit. Fama autem huius facti licet silentio premeretur, diutius celari non potuit, et tantum gaudium in corde honorum crevit de hoc, quod Deus lachrymas servorum suorum non tradiderat oblivioni, ut qui lugubrem vitam ducebant, suis bonis expoliati consolarionem susciperent pro vindicta et morte inimici. Uxor eius, quae vidua remanserat, quamdam partem de his, quae maritus eius abstulerat, reddidit Grimoaldo Abbati, et filium suum ita castigatum et praemonitum tenuit, ut Abbatiae Insulae Piscariensis nihil mali faceret quandiu mater eius vixit. Post mortem matris, oblitus monitorum eius, ad mores patris revertens genitorem suum, malitia superavit.

Mortuo autem Sanctae recordationis Urbano Papa, Paschalis Sede locatus Pontificali meruit insula decorari. Qui mittens unum de Cardinalibus suis, Augustinum nomine, vice Legati, praecepit ut Attonem Comitem, qui propria ac legitima uxore relicta, et ea vivente sibi alteram duxerat, Rogatam videlicet uxorem defuncti Malmazetti, excommunicaret, et tamdiu extra Ecclesiam esse faceret, donec illam, quam male tenebit, relinquens, pro reatu satisfaceret, et quos male faciens suo exemplo laeterat, poenitens ad satisfactionem provocaret. Qui Legatus ad Insulam Piscariensem, in qua Monasterium Sancti Clementis est, devenit, ibique maximo cum honore susceptus, iuxta praeceptum Domini Papae praedictum Attonem excommunicatum ad satisfactionem provocans, poenitentem recepit, Ecclesiae reddidit, et ne ultra ad peccatum rediret illud, pro quo sententiam excommunicationis acceperat, iurare fecit.

Hic dum familiariter in Monasterio cum Abbate et Fratribus maneret, et de flatu Ecclesiae et reliquiis, quae in eo continebantur, requireret, audivit Corpus Beati Clementis ibi tumulatum iacere, sed ad hoc credendum nulla potuit provocari ratione, donec Abbas ei promisit quia ostensione eiusdem Sacrosancti corporis ipse dubius dubio faceret fidem dictis. Adveniente itaque Beati Clementis festivitate, et eodem Cardinali praesente, solemniter, ut moris est celebrata, venit nox; Fratresque, sicut mos est, post Completorium petiere cubacula, et Abbas duos de Fratribus, et duos de famulis suis, de quorum fide et religione minime dubitabat, in Ecclesia latenter iussit manere, donec in media nocte, accensis luminibus, et obseratis portis firmiter super se, datis sibi ferramentis frangerent tumbam, quae erat post altare, et diligenter inquirerent, donec invenirent quod sufficeret et incredulitati Cardinalis, et multorum dubitationi. Qui parentes mandatis, fregerunt tumbam, et inveniunt vacuam, timuerunt supervacaneum esse laborem suum, et fallacem assertionem Monachorum.

*Inventio Corporis Sancti Clementis.*

Tandem animati ruperunt pavimentum, ibique nihil inveniunt, fregerunt secundum, et facto foramine, tanto subito sunt repleti odore, ut putarent se in Paradiso Dei astare; tantusque sonitus auditus est ex percussione secundi, ut videretur illis, qui praesentes aderant ibi, corruisse totum Monasterium fractis parietibus cunctis. Cum autem, tremefacti instarent labori, et avidi contemplari coelestis thecam thesauri, invenerunt subito quod desiderabant, pretiosum corpus venerabilis Martyris Christi et Romani Pontificis Sancti Clementis in vase alabastris, in quo illud posuerat cautela et providentia venerandae memoriae Imperatoris Ludovici. Quod videntes, vas tangere non fuerunt ausi, sed statim nunciaverunt Abbati quae viderant, quae audierant, quae invenerant, et quae contigerant illis. Qui excitus a somno confestim surrexit de fratre suo, et convocatis Fratribus et Cardinali, cum timore et reverentia accesserunt ad locum, et facta primitus oratione, cum singultu et lachrymis aperuerunt thecam thesauri, et invenerunt titulum aureis literis scriptum:

HIC IACET SANCTUS CLEMENS PETRI DISCIPULUS, ET A PETRO PAPA SECUNDUS, QUI IUSSU TRAIANI IMPERATORIS ANCHORA AD EIUS COLLUM LIGATA, FUIT IN PELAGO MERSUS.

Quem titulum cum legeret Cardinalis, eius facies illico est persua ubertim profluentibus lachrymis, et procedens ad cetera, cum pro certo cognovisset, quod ibi Sanctus Clemens iaceret, in laudibus prosilivit, incipiens: *Te Deum laudamus*; quod Fratres cum iubilo cantaverunt, et ad finem usque exultantibus Angelis, et praesentibus Martyribus Sanctis, ipsum *Te Deum laudamus* modulizando perduxerunt. Quod factum vicinos latere non poterat, sed ad hoc spectaculum omnis sexus occurrit; et tanta fuit hominum multitudo, ut arenae maris posset aequari.

Cum autem coram cunctis singillatim membra Beati Viri nec unum os deesse conspicerent, invenerunt etiam de carne Beati Petri, et unum de dentibus Sancti Pauli; Titulum etiam ad confirmandam veritatem scriptum similibus literis: *Hic dens est de dentibus Sancti Pauli, qui fuit raptus usque ad tertium Coelum; et audivit arcana verba, quae non licet homini loqui.* Caro vero Beati Petri ita mollis effecta erat, quasi lana munda, et quando constrinxit eam Cardinalis cum manu dextera, videbantur sibi quasi nihil esset in palma; quando aperiebatur ipsa manus caro revertebatur ad quantitatem, quam habuerat antea. Videns autem Cardinalis magna mirabilia Dei, credidi quod prius non crederet, esse videlicet ibi Beatum Clementem corporaliter, et in virtute spiritualiter, et remeans retulit quae viderat summo Pontifici, Domno videlicet Papae Paschali, et omnibus Concardinalibus suis, qui unanimiter reddiderunt gratias Salvatori, qui non frustratus fuerat Italiam Romano Pontifice, Sancto scilicet Clemente reverendo Martyre.

1104.

Facta est igitur haec ostensio pretiosissimi corporis gloriosi Pontificis et Martyris Christi Clementis, post sextum eiusdem altera die, idest octavo Calendas Decembris, anno Dominicae Incarnationis millesimo centesimo quarto, Indictione decima tertia, a conditione vero Monasterii Casauriensis.....

*Elevatio corporis Sancti Clementis.*

Abbas vero Grimoaldus ultra modum laetus affectu, quia certus erat inde unde multorum dubitatio eum aliquantulum dubitare compellebat, constructum altare, et in die statuta coram maxima multitudine convocato Episcopo Valvensi, nomine Gualterio, qui supradicto Domno Iohanni Episcopo, et Piscariensi Abbati, in Pontificatu successerat, cuius Domni Iohannis Episcopi et Abbatis obitus inscribitur octavo Idus Augusti, collocavit idem Praesul Gualterius in eodem altari Sacrosanctum Corpus Clementis Papae et Martyris integrum totum, sicut traditum fuerat Ludovico Imperatori, excepta una particula, quae ad recordationem, posterorum, et certitudinem praesentium, et remedium aegrotantium, quae etiam conservatur in locello argenteo, in quo honorifice custoditur, et quoties necessitas ingruit, trahitur non sine remedio.

1105.

Postquam altare fuit clausum, et bene signatum plumbo et ferro, dedicavit illud praefatus Episcopus, iussu Grimoaldi Abbatis, quinto decimo Calendas Novembris, anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo quinto. Nam in eiusdem altaris mensa facta est effossio, ubi Cassullam quorundam Sanctorum pretiosissimas Reliquias continentem deposuerunt, et paginulam literarum talem scripturam habentem: *In anno millesimo centesimo quinto, et die mensis Octobris stante quarto decimo, per Indictionem quartam decimam, peracta est consecratio altaris maioris Beati Clementis Martyris Monasterii, in honore Sanctae Trinitatis, et Beatae Dei Genitricis Virginis Mariae, et Sancti Vincentii Martyris, et Beati Egidii*

*Confessoris, a me indigno Walterio Episcopo Balvensis Ecclesiae, cuius praedicti Monasterii Grimoaldus maximus Abbas hoc in tempore regimine siquideni nutu Dei tenere videtur, una cum monachis suis, et sequacibus omnibus, astante illic Praeposito Berardo Monasterii Sancti Liberatoris, vel plurimis aliis maximis hominibus, Regenteque iussu Dei Apostolicam arcem Romanae Urbis Paschali gloriosissimo etenim Papa. Quae dies festiva ducitur per singulos annos tam a Clero quam a populo, et remissio sit omnibus advenientibus de poenitentia sumpta criminalium peccatorum integer annus, et quadraginta dies de venialibus. Ipso namque anno quidam Sulmonenses, Otto et Iohannes, dederunt suas possessiones quascumque habebant Piscariensi Monasterio, Otto factus Monachus eiusdem Monasterii quamdiu vixit placere Deo studuit in sancta conversatione. Supradictis itaque ac aliis modis clarificavit Dominus merita Beati Clementis, ad correptionem praesentium, et eruditionem futurorum, ostendes eum in Monasterio Piscariensi esse reconditum.*

Erat tunc temporis consuetudo, et, ut veracius dicam, religiosa devotio, ut omnes de circumadiacentibus Castellis, tam maiores, quam minimi, ob reverentiam gloriosi Martyris in Cimiterio Beati Clementis ex hoc Mundo transeuntes sepelirentur.

Grimoaldus Abbas intuens multa mirabilia suo tempore saepissime fieri, magis et magis proficiebat in timore Dei, et quaecumque ex retitibus Ecclesiae, vel bonorum virorum largitione congregare poterat, non parentibus tribuebat, sed ad decus Ecclesiae in ornamentis et utensilibus expendebat. Fecit namque a Septentrionali parte Monasterii iuxta latus Ecclesiae palatium ad habitationem Abbatum et cameras ad deponendas res et substantias Monasterii; quod palatium variis picturis et quibusdam historiis de veteri Testamento decoravit Fecit crucem argenteam appendentem quindecim libras argenti, quae a sinistris choriante altare fixa, ob reverentiam Dominicae Passionis a populis debita veneratione coleretur. Fecit et calicem aureum appendentem libram auri purissimi, in quo mysteria Dei magnis festivitatibus conficerentur. Fecit et textum argenteum, qui expanderetur vel reperiretur super altare Dominicis diebus, et in Festis Sanctorum. Crucem vero magnam quam Gilebertus abraserat argento, imagine ac passione Salvatoris depingere simul et decorare fecit. Iste Vir Sanctus quamvis esset carnis munditia, et honestate vitae consors Sanctorum habitantium in secretis coelistibus, non tamen poterat dignoscere, nisi Deo sibi revelante, diem sui obitus. Dum autem esset valde sollicitus de augmento Ecclesiae sibi commissae, ut sui moris erat, audivit quia Henricus Imperator, Henrici filius, Romam advenerat, ad quem dum ire obviam properaret, in Monasterio Sancti Vincentii, unde sumptus fuerat in Abbatem, hospitium habuit, ibique correptus infirmitate: Deo iubente, finem vitae suscepit, sepultusque est in eadem Ecclesia cum Fratribus suis. Vixit autem in regimine Piscariensis Monasterii decem et septem annis, mensibus octo, diebus undecim, clausitque ultimum diem tertio nonas Septembris, anno Dominicae Incarnationis.

#### **XXVIII. ABBAS ALBERICUS.**

Post hunc cum levaretur Giso, essetque aliquantis diebus electus ob malevolentiam Fratrum, quia videbatur violentia Comitum Manuplellensium impositus, et quia Fratribus coepit dominari ferocibus, quam deberet, studeretque plus timeri, quam amari, cessavit: et sic Domno Grimoaldo successit Domnus Albericus eiusdem Abbatiae Monachus, quondam vero Praepositus, prius equidem pro sua honestate et sapientia in Episcopatum Teatinensem electus, extitit, sed quia adversarios habebat quosdam, maluit Abbas, quam Episcopus esse.

1110.

Quando vero eius electio sana fuitolvebatur annus Dominicae Incarnationis Millesimus centesimus decimus; tenebatur tunc temporis in Tete Abbatiam Sancti Ioannis de Arclano et Pinne Sanctam Mariam de Piczano, indeque a Monachis et populo terrae Sancti Clementis honorifice fuit adductus, atque electus; et ita consecratus a Domno Paschali Summo Pontifice, suscepit curam pastorem in baculi traditione.

Eius in tempore adversarii, qui tenebant bona Ecclesiae, ut audierunt adventum Henrici Imperatoris, cognoscentes animum Alberici Abbatis promptum in quantum posset ad sese vendicandum de eis, convocavere finitimos et longe remotos de sua cognatione, et habentes commune colloquium, ex consilio venerunt ad Abbatem Albericum, et illa Castella, quae illi de Ecclesia tenebant, quieta ei reddiderunt in sua miseratione sine ulla retentione, parati ad iuramentum, ad fidelitatem, et omnia quaecumque Abbas sibi praeciperet facere. Qui postquam triduo ipsa Castella in manu sua tenuit, sumpto consilio ab eis, qui pavidi magis erant parati ad persuadendum ut daret, quam ut retineret, eadem Castella eisdem Baronibus interposita quadam conventionem reddidit, ut ipsi iurarent et fidelitatem promitterent, ut nunquam per se, neque per aliquem, quem possent repellere, Ecclesia Sancti Clementis eadem Castella, vel alias possessiones, et moda possideret, vel acquirere posset, ulterius perderet, et si insurgerent adversarii, ipsi essent ad comprimendum adiutores fidelissimi. Constituerunt etiam dare censum annum pro recognitione decem bisanzios; et si controversia de his oriretur, quae supra diximus, ille, per quem fuisset orta, mille libras auri purissimi persolvere ad profectum Monasterii cogeretur. Hoc iuravit Gentilis de Colle Petri, qui tenebat Castellum Pesculi et Carufanum, et Olivulam, et Sanso, et Rainaldus, filii Remedii, et Temmarius filius Temmmarii, et Sanso filius Theodini, qui tenebant Castella illa, videlicet Bittorritum, Castellionum, Roccam de Soti, Corvariam, Petraniquam. Fecerunt etiam, ut eorum filii essent homines Ecclesiae fideles et legitimi in manus Alberici Abbatis, et tenerent ipsa Castella usque ad tertiam legitimam generationem; et finita tertia generatione legitima et masculina, ut est consuetudinis illius terrae, ipsa Castella quieta et libera reformarentur Ecclesiae.

1111.

Hoc iuramentum, et hanc fidelitatem coram Episcopis istis, Walterio Episcopo Valvensi, Wilielmo Teatensi, Herberto Pinnensi, et Venerabili Berardo Praeposito Liberatoris et multis aliis bonis viris, qui praesentes aderant, fecerunt, et scripto mandare ad notitiam posterorum praeceperunt; Illi, qui sacramentum fecerunt, superius sunt nominati, filii eorum qui hominum fecerunt Abbati, sunt: Walterius filius Gentilis de Colle-Petri, hominum fecit Alberico Abbati, et Berardus filius Sansonis, et Temmarius filius Temmarii, et Wilielmus filius Rainaldi. Et hoc factum est in anno Dominicae Incarnationis millesimo centesimo undecimo.

Albericus autem Abbas duobus annis transactis in regimine, in tertio accepit finem vitae, sepultusque est in Monasterio Sancti Clementis cum Fratribus suis, duodecimo Calendas Novembris.

1112.

### **XXIX. ABBAS GISO.**

Cui successit supradictus Giso, revocatus atque reductus a Monachis, et toto populo Sancti Clementis, eo quod in rebus secularibus esset studiosus. Quem sacravit Paschalis Praesul Romanus Beneventi; et sacro, ut moris est, dedit curam animarum et regimen Monasterii, anno Dominicae Incarnationis currente millesimo centesimo duodecimo. Ipse aedificavit domum, quae Sacristaria appellatur, in qua thesauri, et ornamenta Ecclesiae conservantur.

1113.- 14.- et 15.

Transactis autem annis ab Incarnatione Domini nostri Iesu Christi millesimo centesimo decimo tertio, millesimo centesimo decimo quarto, millesimo centesimo decimo quinto. Praefatus autem Giso sciens se pro benefactis suis a Deo bonam remunerationem habiturum, ad augmentum Ecclesiae, et profectum omnium Fratrum, dedit Ecclesiam Sancti Bartholomaei de Orta, cum omnibus pertinentiis suis, et duos molendinos, et duos homines, in Castello, quod dicitur Phara. Haec omnia in Capitulo dedit, confirmavit domui infirmorum Fratrum, in perpetuum possidenda iure hereditario, sicut rogatus erat ab uno ex Monasterii Prioribus, videlicet Domno Mauro, viro admodum probo et honesto, procuratore ipsius domus infirmorum: de cuius literatura, et arte scribendi, honor Piscariensis Monasterii satis est augmentatus.

In huius Abbatis tempore Wilielmus Tassio, de cuius ferocitate aliquantulum supra locuti fuimus, confessus reatum, quem contraxerat de venditione Monasterii Sancti Clementis, pro remedio animae suae, et praecipue pro absolutione istius sceleris, reddidit Castellum Sancti Mauri, quod infauste tenebat, Beato Clementi per manus Gisonis Abbatis: In cuius tempore quidam potentes, videlicet Robertus Trogisii, et Gerardus de Coniulo, cum fratribus suis, occupabant bona Ecclesiae et possessiones in Castello, quod dicitur Alanne, quos expulit, et terram, quam invaserant, licet eam de Ecclesia se tenere mendaciter assererent, liberam Monasterio reddidit.

Eodem praeterea tempore ipso Domno Gisoni Abbate amminiculante grande studium erat, et nimia exercitatio in Piscariensi Monasterio a Fratribus de renovandis Libris, videlicet homiliis, passionariis altaris, expositionum, et ceteris Ecclesiasticis Codicibus; in quo scribendi studio praecipui erant, Domnus Ioannes vir literatus et honestus, de cuius scientia et gravitate Monasterium est augmentatum, et bonum exemplum posteris est traditum, et Domnus Maurus, et Domnus Oldrinus, qui in hac arte nimis erat assiduus, de cuius moribus et regulari disciplina, suo tempore dicemus: successit enim in Abbatiatu isti Domno Gisoni propter nimiam suam honestatem, et regularis vitae custodiam.

In tempore huius Gisonis Sanso de Petraniqua partim pro anima sua, partim pro pretio, quod accepit, dedit Ecclesiae Sancti Clementis in perpetuum possidendam terram arabilem, fructiferam pro domanio Ecclesiae, plusquam ducentorum triginta modiorum, pro qua Abbas Giso una vice dedit octoginta solidos, altera vero vice caballum unum optimum, et quindecim bisanzios. Haec terra est ad Sanctum Petrum de Colle in pertinentia de Alanne.

1116. usque ad 1121.

Praeterea vir quidam nobilis et sapiens, Tedemarius nomine, cum haberet de iure Beati Clementis in emptione Ludovici Imperatoris tria Castella, Paternum videlicet, Picericum et Lucu, ductus amore Gisonis Abbatis, et devotione, quam habebat erga Monasterium Beati Clementis, hominum eidem Abbati fecit, et Sancti Clementi veram fidelitatem iuramento semper servare promisit. Volvebantur tunc anni Domini millesimus centerimus sextus decimus usque vicesimum primum.

Circa tempora vero ista, residente iam Papa Gelasio in Apostolica Sede, fuerunt locustae in universa regione ista, corrodescentes segetes et omnes labores: Unde cum ex iussione Domni Gisonis Abbatis capsula, in qua Beati Clementis erat spatula, portaretur a supradicto Domno Mauro, et quibusdam aliis religiosis Fratribus in agriculturis Ecclesiae, et cum ipsa perambularent atque girarent ipsos campos, in quibus proprie segetes et labores erant ad victum Monasterii, tanta fuit virtus Beati Clementis, ut in ipsa portatione reliquiarum eius, ipsae locustae fugarentur, et conglobatae una super alteram cadentes, et se ad invicem vehementer impingentes, in flumine Piscariensi se internecabant, sicque ex maxima parte sequenti tempore fuit sedata famis pestilentia.

Ugo Malmazettus, de quo supra locuti sumus, duos filios moriens dereliquit; quinque enim alii eum moriendo secuti sunt, quorum unus, qui eodem nomine quo et pater vocitabatur, et malitiae paternae in quantum poterat aemulator existens, homines Sancti Clementis, et res Ecclesiae persequabatur; qui admonitus ab Abbate secundo et tertio, ut a male quiesceret, et ipse nullo modo quiescere vellet: Abbas sicut prudens ei cum parvo comitatu per terram Sancti Clementis equitanti occultas tetendit insidias, comprehendit, ligavit, eumque cuidam Baroni suo, Sansoni videlicet de Petraniqua, ad custodiendum tradidit, et tandiu incarceratum tenuit, donec iuraret, quod ulterius dum adviveret Sancti Clementis homines

non inquietaret. Qui egressus de carcere, ab eodem Abbate coactus non multo post tempore Hierosolymam petiit, ibique finem vitae suae invenit. Hic Giso providens ad profectum Ecclesiae impetravit privilegium Calixti Papae, in anno ab Incarnatione Domini nostri Iesu Christi millesimo centesimo vigesimo primo.

*Privilegium Calixti Papae.*

“ Calixtus Episcopus servus servorum Dei, dilecto in Christo filio Gisoni Abbati Venerabilis Monasterii Sancti Clermentis, quod in Insula Piscariensi situm est, eiusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum. Apostolicae Sedis auctoritate, debitoque compellimur pro universarum Ecclesiarum flatu satagere, et earum maxime quieti, quae specialis eidem Sedi adhaerent, ac tanquam iure proprio subiectae sunt, auxiliante Domino, providere. Ea propter petitionibus tuis, fili in Christo carissime Giso, non immerito annuendum censuimus, ut Monasterium Beati Clementis, cui Deo auctore praeesse cognosceris, ubi vide licet gloriosissimum Corpus eiusdem Martyris requiescere credimus, sicut in Domini praedecessoris nostri Papae Leonis privilegio continetur, Sedis Apostolicae auctoritate muniremus. Mansuro igitur in perpetuum decreto statuimus, ut quascunque possessiones, quaecunque bona idem Monasterium in praesenti legitime possidet, firma tibi, tuis successoribus, et illibata permaneant, in quibus haec propriis duximus nominibus exprimenda. In Comitatu scilicet Teatino Castrum Insulae: Monasterium Sancti Nicolai in Caramanico, cum cellis, et ceteris ad idem Monasterium pertinentibus: Ecclesiam Sanctae Crucis: Ecclesiam Sancti Martini ad Guttam, Ecclesiam Sancti Iohannis, Ecclesiam Sancti Cesidii, Monasterium Sancti Trivitatis de Lapidaria, Ecclesiam Sanctae Mariae in Pesile, Sancti Angeli, Sancti Cesidii, Sancti Bartholomei de Orta, et Castrum Fare. In Comitatu Balbensi Monasterium Sanctae Trinitatis cum pertinentiis suis: in Comitatu Pinnensi Castrum Alanne, Bectorrits, Castellione, Olibula, Corvaria, Pesclu, Roccam de Soti, Petram-iniquam cum Ecclesiis et pertinentiis suis. In eodem Comitatu Monasterium Sancti Desiderii, et Ecclesiam Sancti Quirici cum pertinentiis suis. In Comitatu Aprutino Monasterium Sancti Clementis cum Castellis, videlicet Castro-vetere, Sancto-vetere, Guardia cum Ecclesiis et villis ad praedictum Monasterium pertinentibus. Quaecunque praeterea in futurum concessione Pontificum, liberalitate Principum, oblatione Fidelium, vel allis iustis modis poteritis adipisci, firma tibi, tuisque Successoribus, et integra conserventur. Decernimus ergo, ut nulli omnino Episcopo vel Comiti, aut prorsus alicui hominum, facultas sit praefatum Monasterium temere perturbare aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere vel minuere, vel temerariis vexationibus fatigare, aut si aliquas exactiones imponere, sed omnia integra conserventur, eorum, pro quorum sustentatione et gubernatione concessa sunt, usibus profutura. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica secularisve persona hanc nostram constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo tertioque commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reamque se Divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo Corpore ac Sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtae ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco iusta servantibus, sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus et hic fructum bonae actionis percipiant, et apud districtum Iudicem praemia aeternae pacis inveniant Amen.

Scriptum per manum Gervasii Scriniarii, Regionarii, et Notarii sacri Palatii.

Ego Calixtus Catholicae Ecclesiae Episcopus subscripsi.

Datum Laterani per manum Grisogoni Sanctae Romanae Ecclesiae Diaconi Cardinalis ac Bibliothecarii, quarto Calendas Aprilis, Indictione decima quarta: Incarnationis Dominicae anno millesimo centesimo vigesimo primo, Pontificatus autem Domini Calixti secundi Papae anno quarto.”

1122.

Per idem tempos erant eidem Domno Gisoni Piscariensi graves inimicitiae cum persecutoribus Ecclesiae suae, quia nolebat ut sua incuria minuerentur ea, quae ab antecessoribus suis magno labore fuerant acquisita.

1123.

Toccenses multum gravabant Insulares, et non eis sufficiebat quod terras abstulerant, verum etiam Ecclesias ipsius Castellum auferebant; Vir summae industriae hoc malum sufferre non potuit, Papam Honorium, qui iam in Dominicae Incarnationis anno millesimo centesimo vigesimo tertio Papae Calixto in Apostolica Sede successerat, adiit, et eos excommunicari fecit, quamdiu ipsas Ecclesias non redderent, et pro sacrilegio satisfacerent. Illi obstinati malitia, qui primitus Deum contempserant, literas Apostolicas, et eius excommunicationem contempserunt; addentes peccatum peccato, ipsi Abbati tetenderunt insidias, eumque ceperunt, et multis iniuriis affecerunt. Tandem ipsi videntes quod nullo modo ad Castellum Toccum eum portare valerent, et metuentes, ne populi adventantes eius adiutorio essent, eum peditem dimiserunt, et mulam, super quam sedebat, secum ducentes, totam eius supellectilem ad castrum, in quo degebant, portaverunt. Ille pedes revertens ad Monasterium, quae sibi facta fuerant enarravit, et omnes vicinos ad vindictam malefactorum suis querimoniis et clamoribus incitavit, nec multo post tantus fuit concursus populi, Episcoporum et Baronum, qui omnes erant parati ad subvertendum prostibulum, ut paene ad quatuor millia armatorum possent computari, et ni esset clementia Gisonis Abbatis, illa die funditus destructa esset, et annihilata superbia Tocci; pepercit rogatus, eosque supplices et poenitentes suscepit, et quae abstulerant integra cum redderent, ipsas Ecclesias, quas impie possidebant, ab eorum possessione in ius Sancti Clementis, sicut antea fuerant, convertit. Et quia Deo cura fuit de servo suo, ipsos, qui manum miserant in eo, gravi delevit

exterminio; quia non multo post perdidit Castellam, et proscripti fuerunt ab hereditate paterna. Quidam vero eorum in hospitali domo ante portam Insulae inflati, et toto corpore turgidi, usque ad mortem de elemosyna Monasterii victum habentes iacuerunt; ibique post non multum tempus cum maximo cruciatu vitam finem acceperunt.

1124.

Igitur in anno ab Incarnatione Domini nostri Iesu Christi millesimo centesimo vigesimo quarto, Ioannes Magistri, Azzonis filius, et ipse etiam Magister appellatus, concedente Domino suo et scripto confirmante, quod scriptum habetur in Monasterio Sancti Clementis, dedit se suosque filios, et hereditatem suam in perpetuum possidendam, Ecclesiae Beati Martyris per manus Gisonis Abbatis, sicut in charta, quae est exinde facta, legitur.

1125.

Vir autem Domini Giso dum his et aliis pluribus ad profectum Ecclesiae, ad correctionem morum, ad observantiam regulae, noctu dieque invigilaret, tactus non modica infirmitate ad lectum devenit, et munitus sacro Viatico coram Fratribus expiravit Idibus Aprilis. Praefuit Monasterio Piscariensi quindecim annis, mensibus quinque, et diebus viginti sex. Sepultusque est in Claustro a parte sinistra egredientibus de Ecclesia.

### XXX. ABBAS OLDRIUS.

Huic successit Oldrius eiusdem Ecclesiae Monachus, vir magnae simplicitatis et mirae erga Deum et Fratres suos caritatis; custos ovis sui, et amator disciplinae regularis; de quo, sicut eius opera protestantur, si vellemus non possumus pauca loqui. Cuius electio quia divinitus facta fuit, ab ipsa incipiamus.

1127.

#### *Electio eiusdem Abbatis.*

Quidam enim de pluribus Fratrum Piscariensium nobilitate carnis, quidam terrena potentia, quidam vero prioratu et religione credebant se posse ad Abbatiae dominum pervenire. Unde in ipsos eosdem, qui sic erant ambitiosi, Monachorum et laicorum erat intentio: sed Deus omnipotens distortam voluntatem, et inutile consilium hoc modo dissipavit. Post transitum Domni Gisonis Abbatis die sequenti facta est non modica potentum et nobilium virorum coadunatio in Piscariensi Monasterio, propter Abbatis ordinationem, et convenientibus in capitulo cunctis Fratribus, cum de Abbatis electione tractarent, unanimi constitutione, concordanti voce ab omnibus est praefixum, ut duodecim discreti Fratres et sanae mentis de ipso Conventu surgerent, in partem secederent, et de persona, quam ipsi concorditer dicerent et approbarent, de ipsa sine alicuius contradictione fieret electio. Iussi sunt igitur a prioribus et nominati duodecim, qui exeuntes de Capitulo, de communi proposito sex eorum in dormitorio, sex in Oratorio secesserunt, statuentes inter se, ut quicquid ab utraque parte melius aestimaretur, in medio et commune sui ipsorum referretur, et si forte contingeret, ut esset unius personae ab ambabus partibus unanimis aestimatio, bene constaret, sin autem una persona de pluribus aestimatis, in qua maior numerus ipsorum duodecim concordaret, assumeretur, et de ipsa fieret in Capitulo communis pronuntiatio. Illis autem abeuntibus, et his ita fientibus in Capitulo erat sermo, ut communis status, et regimen Fratrum, antequam electio fieret, ordinaretur melius quam fuisset hactenus. In quo verbo tanto zelo pro communi utilitate fuit accensus specialius Dominus Oldrius, ut vestes, quas intrinsecus viles habebat, ibidem, sicut ille, qui de se nihil suspicabatur, et simpliciter vivebat, ostenderet, quatenus ad meliorandum Fratrum commune subsidium, Fratres omnes serventiores, et animosiores ipsarum vilium vestium ostensione redderentur.

Cumque de his, ut supra dictum est, tractaretur, subito vox unius simplicis hominis de plebe in templo personavit *Domnus Oldrius Abbas, Domnus Oldrius Abbas*. Illo igitur per Ecclesiam et totum Claustrum talia vociferante, et utraque pars Fratrum, quibus vocatio personae commissa erat, a se altera parte putaret vocem illam processisse, moventur ambae et in claustro sibi occurrunt, altera dicens ad alteram: *Si vobis placet de Domino Oldrio, nobis non displicet*. Sicque concorditer in hoc verbo Capitulum intrantes, unus ex duodecim, nomine Iohannes, pro omnibus loquens dixit: *Exurge Domine et iudica causam tuam*. Et signans se croce adiecit: *In nomine Patris et Filii, et Spiritus Sancti, nos dicimus de Domino Oldrio quia bonus est, et dignus, ut illum in Patrem habeamus*. Interea vox, quae ab illo homine, Benedicto nomine, proferebatur, com a populo de foris audiretur, et talis acclamatio per omnes excresceret, et penitus in toto Monasterio vox eadem, *Domnus Oldrius Abbas, Domnus Oldrius Abbas*, vehementissime intonaret, apertis ostiis cum tali vociferatione Capitulum omnes intrant, et invenientes Dominum Oldrium renitentem, Fratribus illum assumptibus et clamantem: *Quare in tanto loco ponitis pecudem? Cur de me, et de hac sede facitis irrisionem?* Cogunt eum in sede tandem sedere, et Abbatiae regimina suscipere. Facta est itaque eius electio quinto decimo die mensis Aprilis anno Dominicae Incarnationis millesimo centesimo vigesimo septimo, et veraciter effectus est Pater Monachorum, et contra adversarios Sanctae Dei Ecclesiae quasi murus aeneus, humilibus humilis et mansuetus, superbis in iustitia rigidus, caritate diffusus. Hunc in Abbatem consecravit Papa Honorius, a quo suscepta benedictione ad Monasterium cum esset regressus non mutavit mores pro suscepto honore, immo humilior et mansuetior elatis se praebebat exemplar humilitatis et gratiae, ut veraciter credi posset, quia repletus esset Divino Spiramine.

In primo anno suscepti regiminis fuit necessarium quod iret in Aprutium, et antequam egrederetur de Abbatia, cuidam fidei suo Wilielmo de Castellione commendavit, ut haberet curam de rebus Ecclesiae, et praecepit hominibus suis, ut ei obtemperarent, sicut et sibi, et si necessitas ingrueret eius omnes obsecundarent mandatis. Abbas iter faciens Aprutium perrexit, ibique in possessionibus Ecclesiae aliquantisper moratus est. Quo spatio praefatus Wilielmus minister fraudis, et revera sacrilegus, cum videret Abbatem morari, et haberet in sua potestate terras Monasterii, retendit Alannum, et convocans omnes habitatores illius oppidi, dixit eis, quia in crastina die venturi essent inimici, qui depraedarentur terram Beati Clementis, dimitterent illa pascua, in quibus suas boves et oves solebant ducere, et ducerent eas secus fluenta Piscariae, ut facilius sibi cursus esset in mane, quando decreverat cum satellitibus Alannenses praedas agere. Illi parentes iussis nequissimi, coadunaverunt animalia infinitae multitudinis, et in loca illa ea duxerunt, in quibus praeceperat eis. Mane facto coadunata satellitum multitudine, armata militum turba, Wilielmus venit ad loca, et revera hostis nequissimus, qui deberet esse tutor fidelissimus, armenta boum, et greges ovium rapuit, et duxit secum, et ita dissipavit, quod nec unam caudam ex omnibus reddere voluerit. Advenit Abbas, et audito quod fecerat, doluit, et ut emendaret semel, et secundo, et tertio rogans, vix paucos boves recuperare potuit. Vir autem Domini Oldrius non armis secularibus, sed Divinis armatus Sancto Clementi quod iniquus fecerat humili precatu innotuit, et ut de suis curam ageret exoravit.

1128.

Cuius precatus non contempsit Altissimus, immo antequam finiretur unus annus in eadem die anniversaria, quae est nono Calendas Septembris, in qua terram Ecclesiae inique fuerat depraedatus, Castellionis oppidum perdidit: Nam, sicut fertur, in ipsa nocte circa horam matutinae laudis duobus Fratribus in Capitulo quiescentibus per visionem apparuit Beatus Clemens, dicens: *Surgite, notifico vobis quia noster hostis Wilielmus de Castellione traditus est in manus inimicorum suorum. Hodie abiicio eum de terra mea, ut amplius contra me non vivat ex ea, nec etiam volo, ut cum patribus suis circa me locum habeat sepulturae.* Expergiscentibus vero Fratribus illis, et de tali visione mirantibus, antequam silentium solveretur factus est insultus in eum, et Wilielmus captus, et exheredatus fuit in anno ab Incarnatione Domini nostri Iesu Christi millesimo centesimo vigesimo octavo: nec postea quispiam de eius genere ad dominationem hereditatis eius potuit pervenire, Beato Clemente sibi vicem reddente, et Domino Iesu Christo praecordinante, qui numquam deserit praesumentes de se.

1129.

Igitur in anno Dominicae Incarnationis millesimo centesimo vigesimo nono, mortuo Papa Honorio, et Innocentio ultra montes pergente, et Anacleto in Apuliam veniente, Dux Rogerius, qui iam ceperat Troiam, et sere totam Apuliam, Rex est constitutus.

1130.

Qui sequenti anno, idest millesimo centesimo trigésimo ab Incarnatione Domini expugnavit et cepit Amalfiam.

1131.

Deinde in sequenti anno Dominicae Incarnationis millesimo centesimo trigésimo primo, idem Rex expugnavit Barim, et Rex Lotharius Italiam ingressus est.

1132.

Qui in futuro anno, qui est ab Incarnatione Domini millesimo centesimo trigésimo secundo, Romae coronam accepit ab Innocentio Papa.

1133.- 34.- 35.- et 36.

Evolutis itaque annis ab Incarnatione Domini millesimo centesimo trigésimo tertio, quarto, et quinto, et currente iam anno millesimo centesimo trigésimo sexto, Dominus Oldrius Abbas accessit ad Imperatorem Lotharium, ad flumen quod dicitur Truntum, ubi erat cum magno exercitu: Cumque factus esset coram Imperatore clamor de quodam Conone Guittonis, fecissetque eum venire in praesentia, tandem coegit ipsum iurare, ut nihil ulterius iuris et dominationis in obedientia Piscariensis Monasterii, Ecclesia videlicet Sancti Clementii de Gomano, quaereret, nec in possessionibus eius. Praeter haec idem Imperator ceteris querelis Domni Oldrii Abbatis et Imperialibus privilegiis Monasterii Piscariensis auditis, cum cognovisset quod ipsa Abbatia ab antiquo fuisset Imperialis Camera, promisit se cum Domna Augusta venire ad Monasterium, et ei restituere omnia iura sua, in rebus et possessionibus eius. Cum autem ventum esset ad Piscariam, quibusdam rumoribus incitatus, idem Imperator festinus perrexit in Apuliam contra Regem Rogerium pugnaturus. Deinde cum Papa Innocentio apud Barim coadunatus, in ipso anno ad propria revertens idem Imperator moriens diem clausit extremum.

His itaque temporibus Robertus Manuplelli Comes, Ricardi filius, post mortem patris sui timore matris aliquantulum ab iniquitate retentus, postquam mater eius naturae debitum reddidit, ipse a malo patre malus filius generatus, malitiam paternam sua malitia superavit, et contra Beatum Clementem eiusque domum manifestas inimicitias exercere coepit. Susceptus in hospitio ab Abbate Oldrio, qui etiam suam cameram propriam ei delegaverat, postquam fuit farcitus epulis, mustoque repletus, Abbatem fecit accersiri ad se, cui cum magno fastu et supercilio turris custodiam, quae in Castello Insulae est, ut sibi traderet non rogando sed interminando quaesivit. Et cum Abbas haec se nullo modo posse facere multis assertionibus demonstraret, ille ut cito sibi traderet instantissime postulabat, et nisi fieret, ruinam Ecclesiae depopulationem totius terrae minabatur. Quid faceret? vellet, nollet, tradidit, et moerens, et multum verecundus intra ambitum Claustrum se contulit. Illi autem, quos in turre posuerat, quasi quidam stratae exploratores praetereuntes depraedabantur, missas rapiebant

salutes, et insani ministri domini in servos Christi et Sancti Clementis debacchabantur. Quod Fratres ferre non valentes, clam duos de sapientioribus ad Regem Rogerium, qui tunc ipso fungebatur officio, cum privilegiis Imperatorum in Apuliam transmiserunt, rem, ut fuerat gesta, enucleatim exposuerunt, de tyrannide Comitis et eius persecutione lachrymabiliter conquesti sunt. Et tale responsum ab eo susceperunt, ut ad Monasterium quam citissime repedarent, et securi essent, quia si Deus terram sibi submitteret, et Ecclesiam liberaret et de suo daret, et Abbati, et fratribus conferret adiutorium. Qui revertentes diutius quasi exules extra Monasterium in alienis domibus alieno quadrante vivere coacti fuerunt.

Tandem miseratione divina, et solertia Abbatis, datis primitus duabus libris argenti, refrenata est cupiditas avarissimi Comitis, et dedit eis licentiam ad proprium revertendi. Non multo post cum ipse ad Castellum Manuplillum reverteretur, Abbas ei comitatum praestabat: Et cum inter se de persecutione, quam faciebat Monasterio, loquerentur, iratus Comes quia Abbas, uti sibi videbatur, in responsis reverentiam non exhiberet, gladium evaginavit, et Abbatem percutere voluit, et nisi essent assidentes, qui eum prohibuerunt (quod Abbas multum desideraret, ut pro iustitia moreretur) caput ipsius ense, quem extraxerat amputavisset. Abbas extenso collo securus de Divino auxilio, si ausus esset ut percuteret, instigabat; et in hoc quia non metum mortis sed spem vitae aeternae haberet, demonstrabat. Sic ille in insania perseverans Manuplillum adiit, et Abbas tutior quam antea fuerat ad Ecclesiam remeavit.

Ut autem manifestaretur, et certis indiciis probaretur, quia Deus maximam habebat curam de servo suo Abbate Oldrio, et de grege sibi commisso, quibusdam Fratribus in Ecclesia pernoctantibus venerabilis ostensa est visio, quam nos indignum iudicavimus tegere silentio. Duo Fratres religiosa consuetudine Quadragesimali tempore ante matutinos de lectulis consueverant surgere, et flexis genibus ante sacratissimi Martyris ossa preces et singultus fundere, psalmos cantare, et Sanctos Dei in adiutorium populi Christiani cum Litaniis interpellare. Cumque fatigati aliquantulum consedisissent in angulis Ecclesiae, diversi tamen loco sed non diversi mente, oculis dormitantibus, et vigili corde, ambo unam eandemque visionem in hunc modum videre. Duae personae reverendae aspectu et veste praeclara ante altare stare videbantur, unus quorum pontificali erat indutus habitu, alter regio diademate coronatus, qui ad eos venientes sciscitabantur qui essent, et quare inibi in tali hora morarentur. Responderunt se de Fratribus Ecclesiae fore, pro peccatis suis, et pro benefactoribus ipsius loci misericordiam Dei deprecari, et idcirco antequam Fratres surgerent, de lectulis surrexisse, ut liberius possent orationi vacare. Cumque responderent, *Bene*; addiderunt, *Qui nos simus cognoscitis ne?* Dixerunt, *Minime; sed propter amorem Dei rogamus, ut indicetis nobis, qui estis, et quare venistis, et unde*. Respondit ille qui regio erat coronatus diademate: *Ego sum Ludovicus, qui fui aedificator huius Abbatiae et qui dedi ei quicquid habebam in hac terra, ut possideret hereditario iure. Qui autem mecum est Pontificali venerandus habitu, Sanctus Clemens est, qui pro Christo meruit in pelago mergi, cuius ossa meo labore ad hanc Insulam delata in praesenti altari meruerant sepeliri, quem Robertus de Manuplillo ita graviter flagellavit, ut plagae eius et livores, quos in dorso suscepit, vix possint ab homine dinumerari*. Et ut certiores essent Fratres ambo de visione auxilio Regis Beatus Clemens coram eis spoliavit se, et ostendit cicatrices vulnerum, et plagas virgarum, adiecit: *Ita male tractatus sum, sed volo quod sciatis, quia in proximo me vindicabo de inimicis, et faciam, ut proscribantur ab hereditate paterna et moriantur, et sepeliantur ut miseri et exules in terra non sua*. Hic dictis visio disparuit, et expegefacti Fratres ipsi coeperunt enarrare sibi primitus quae viderant, deinde post Capitulum cum Fratres convenirent, retulerunt se personas venerabilis Ludovici et Beati Clementis vidisse, et quae supra dicta sunt sibi retulisse. Et quia videretur vana gloria si de talibus visis Fratres gratularentur, siluerunt, et quod Deus esset facturus cum maximo metu expectaverunt.

Interim Rex Rogerius Regio diademate coronatus, regnum Siciliae, Ducatum Apuliae, et Principatum Capuae suscepit, filiumque suum, Anfusum nomine, quem Principem Capuae fecerat, ad Theatinum Comitatum cum magno exercitu praemisit, eique diligenter inquirere iussit Manuplillentes Comites, qui erant adversarii Sancti Clementis, ut vivos sibi repraesentaret, in secreto praecepit. Qui cum scirent praefatum Principem iussa patris velle perficere, clam fugerunt; et cum ei nec huc nec illuc resistere possent, fugitivi terram propriam, et quod acquisiverant perdidit, et in aliena terra vitae exitum qualem meruerant invenerunt. Ex tunc Ecclesia Beati Clementis in abundantia pacis coepit studere religioni, auumentari bonis temporalibus solertia boni Pastoris, qui per singulos dies invigilabat ad augmentum si gregis sibi commissi.

In tempore illo (quando Dominus Deus visitare decreverat Piscariensem Abbatiam adventu Serenissimi et Victoriosissimi Regis Rogerii, quem Divina gratia, sapientia, fortitudine prae cunctis mortalibus illustraverat) quidam Domnum Oldrium Abbatem turbabant, et deterrebant, dicentes illum contra Regem fecisse, quia Castellum Beloinianum, quamvis esset de iure Sancti Clementis, Comitibus Manuplilli fugientibus, ipsisque mandantibus suscepisset, nec debuisset terram fugitivorum Regis supraprendere. Sed Abbas de Deo et Beato Clemente confidens nullo metu territus, constanter castellum tenuit, donec ipse Rex veniens penes Monasterium in Campestri sub Tocco, et iuxta Piscariam castra posuit, ibique triduo cum exercitu perendinans mansit. Abbas igitur sumpto consilio cum in crastinum ad Regem accedere, ipsumque precibus et xeniis placare, pro supradicto etiam castro pecuniam offerre deberet, sociatis sibi cunctis Fratribus, totum Psalterium cum genuflexionibus, Letaniis, et orationibus ante sacratissimum corpus Beati Clementis in Ecclesia pernoctavit. Matutinalibus etiam hymnis decantatis, facto mane cum quibusdam de Fratribus equitans ad Regem proficiscitur. Unus vero ex ipsis Fratribus cum pluribus esset intentus iter retardasset, et eminus post Abbatem pergeret, quidam senex venerandae canitiei, venusti vultus, stans in ipso ponte ante portam Insulae in habitu peregrini cum cortia et palma ei apparuit, dicens: *Ite in*

*pace: Dio Abbati, ut securus ad Regem accedat, cavete ne aliquam ei Pecuniam dare spondeatis, gratis enim dabit vobis quod petitis, et eo maiora.* Et Monachus: *Quomodo nosti ?* Et ille: *Quia in hac nocte consilii Regis interfui quando vestro Monasterio deliberabat benefacere.* Gaudens itaque Monachus in hoc verbo, dixit ei: *Benedicaris tu quia bona nuncias, ingredi Monasterium, et accipe caritatem.* Et ille: *Facio, quia ibidem manere, et caritatem habere solitus sum. Ite cum benedictione.* Tunc ipse Monachus coepit festinare, ut se iungeret Abbati, et haec ei annunciaret, sed rogatus intra se quomodo potuisset ille, qui hoc dixerat, arcanum Regis cognoscere, cum videretur peregrinus et pauper, et maxime cum non soleant huiusmodi homines nedum in consiliis, sed nec etiam in atriis Regum admitti, retroversus, ut subtilius de verbo cognosceret, totam Insulam, totumque Monasterium circuevit, et nullatenus illum reperire vel videre potuit. Unde opinati sunt illum fuisse apud quem ipsa nocte pervigiles oraverant, Beatum videlicet Clementem prosperitatis nuntium.

Accessit itaque Dominus Oldrius Abbas; et humilitatis praerogativa tantam penes eum invenit gratiam, ut qui terribilis ante suam faciem ipsos etiam tremere cogeret montes, tanta amicitate cum eo loqueretur, non dico dominus cum servo, sed ut filius cum patre, quicquid postulabat, absque dilatione non pecunia sed sola gratia impetraret. Rex humilis iuxta humilem, et mitis iuxta mitem, magis respiciebat ad serenitatem vultus eius, quem angelico decore praeferebat, quam ad serica indumenta divitum atque nobilium. Et qui alios pro merito suo viles et nullius pretii iudicabat, istum supra cunctos, quos in regno suo Pastores Ecclesiasticos habebat, laudibus extollebat; hunc solum Dei famulum religionis non superfluitatis amatorem praedicabat. Rex nihil ab eo nisi munus orationum accipere voluit, imo de suo proprio largitus est Ecclesiae Beati Clementis, tria Castella, quorum nomina sunt haec: Belonianum, Casaleplanum, et Colleodunum, et privilegium libertatis: tuitionis contra inimicos, et gratiae, et reverentiae, et honoris contra suos, et Abbatiam, et res eiusdem tanquam suas speciales augmentare et custodire promisit.

*En tibi Privilegium, de quo hic sermo,  
iam ante ab Ughellio editum.*

“ In nomine Domini nostri Iesu Christi. Rogerius divina favente clementia Rex Siciliae, Ducatus Apuliae, et Principatus Capuae. Regum, Catholicorumque Principum nil constat gloriosius esse, quam Deum vereri, loca sancta venerari, pauperibus Christi, qui sua spernentes, se Deo largiti sunt, alimenta vitae necessaria providere, simulque conferre. Nec eo minus gloriosum, quod a bonis Principibus pro Dei amore laudabili devotione factum est, pro eiusdem reverentia sancto desiderio colere, consovere pro temporum varietate, et loco tueri, et conservare. Quo circa Monasterium, quod Rex bonae memoriae Ludovicus in Insula, quae Casa Aurea vocatur, ad honorem, et reverentiam Sanctae et Individuae Trinitatis construxit, et dotavit, in quo Corpus Beati Clementis Papae, et Martyris venerabiliter recondi fecit, iam vetustate temporum, perversorumque huiusmodi qui nec Deum timere, nec homines veriti sunt, avida, et inexplebili rapacitate inquamdam servitute redactum, Nos divino tactu admoniti pristina libertate donare decernimus: et ab omni infestatione, et molestiis, quietum, et liberum, sub nostrae manus regia protectione, successorumque nostrorum servavimus. Nec de cetero quorumlibet temeritati in bona eius, seu possessiones quatenus liceat deservire. Quorum quia importuna voracitas res praefati Monasterii in tantum iminuerat et quod nec Fratrum..... superant pauperum Christi indigentium misericordiam, honorem, gloriam summae et individuae Trinitatis eidem Monasterio subscripta Castella videlicet, Insulam, et Castellum ipsius Insulae cum pertinentiis suis, molendinis, ac piscationibus, et meatibus aquarum: Castellionum: Ulivola: Pesculum: Rocca de Soti: Corvariam: Petram inquam: Bectorritam cum Ecclesiis, et pertinentiis suis: Ecclesiam Sanctae Trinitatis de Rocca de Soti cum toto ipso monte, et rupibus, et sylvis eius, et omnes alias Ecclesias de Terra Sansonis: Alanum cum Ecclesiis, et pertinentiis suis, Casale Sancti Desiderii cum Ecclesiis, et pertinentiis suis: Ecclesiam Sancti Martini de Musculo, In Civitate Sancti Angeli, Castellum Sancti Mori cum portu, et pertinentiis suis: Ecclesiam Sancti Cirici de Monte Silvano: Ecclesiam Sancti Salvatoris iuxta flumen de Nora, cum ipso Poio, et pertinentiis suis: Ecclesiam Sancti Gervasii cum pertinentiis suis: homines qui cognomine dicuntur Palummi cum familiis, et pertinentiis suis: Ecclesias Sancti Rustici de Saliano: Sancti Angeli de Monte Apriano: Sancti Flaviani: Sanctae Mariae ad Capri, Sanctae Mariae de Colle cum Capella de Rocca, cum omnibus pertinentiis suis, Ecclesiam Sancti Nicolai ad Cornisam cum pertinentiis suis, in Comitatu Theatino, Castrum Bononianum cum Ecclesiis, et pertinentiis suis. Faram de Ambrillae, Ecclesiam Sanctae Mariae de Pesele: Ecclesiam Sanctae Mariae de Casule, Ecclesiam Sancti Cesidii, Ecclesiam Sanctae Trinitatis de Lapidaria, cum Ecclesia Sancti Nicolai de Cardia, et aliis Capellis cum suis pertinentiis, Ecclesiam Sancti Victorini positam in Territorio Tocci. In Caramanico Ecclesiam Sanctae Crucis, Ecclesiam Sancti Nicolai, Ecclesiam Sanctae Eufemiae cum Cellis, et aliis pertinentiis, Ecclesiam Sancti Martini ad Gruetam, Sancti Ioannis Staniarii, Sancti Silvestri de Oligeto cum pertinentiis suis. In Comitatu Aprutino, Castrum Guardiae, Castellum veterum Monaciscum. In Civitate Sulmona, Oratorium, domum, et Palatium quondam Simonis, Casas Gallia, et omnes possessiones infra, vel extra ipsam civitatem vestro Monasterio attributas, in perpetuum regia liberalitate duximus confirmanda, ut et nobis, et heredibus nostris animabusque parentum, et praedecessorum nostrorum omnium Beati Clementis Papae, et Martyris patrocinium impetremus. Ad confirmanda autem praedicta omnia chartam istam nostro Regio sigillo insigniri praecipimus: in qua etiam Regiae dignitatis signum ascribitur.

Data in Territorio civitatis Theatino super flumen Piscariae per manus Roberti Cancellarii, anno Incarnationis Dominicae millesimo centesimo quadagesimo mensis Augusti Indictione tertia. Anno vero Regni Rogerii gloriosissimi Regis Siciliae, Ducatus Apuliae, et Principatus Capuae decimo, Deo propitio. Amen.”

Item sequenti die, videlicet quinto Calendas Septembris, anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo quadragesimo, idem gloriosus Rex Monasterium devotus intravit. Missam Beati Clementis ab ipso Domno Abbate audivit ante venerabilem Crucem chori stans et orans, ipsam figuram satis approbavit: in claustro sibi privilegia relegi fecit, demum unam modicam particulam de Beati Clementis spatula ipso magnis precibus expetente accepit: Insulam perambulavit, et devotior, quam intrasset, egressus abiit, dans in mandatis eidem Abbati, ut si aliqua molestia ab aliquo adversario fieret Ecclesiae; et si quando esset necessarium ut pro Ecclesia postularet, mitteret aliquem de suis, non Monachum, sed famulum, ne Ecclesia in expensis gravaretur; et securus esset, quia quaecunque posceret, impetraret; quia non volebat Rex Rogerius, ut Abbas Oldrius vexaretur, imo praecepit ei, ut intra Monasterium suam senectutem foveret, et Deum nocte et die pro statu Regni, pro salute filiorum suorum, et pro sua exoraret.

Post haec Comes Boamundus, qui noviter fuerat ordinatus a Domno Rege in Comitatu Manuplelli, acquiescens, sicuti moris est, novorum quorundam adulatorum garrulitati, voluit, et quaesivit ut potuit, quomodo Sanctum Clementem supponeret sibi, et ut suae persuasionis auxiliares haberet, Robertum Cancellarium precibus et promissis illexit, et ut suis verbis fallacibus testimonium perhiberet, effecit. Contigit, ut idem Comes, et praefatus Robertus Cancellarius cum Abbate loquerentur, et cum ipsorum inquisitiones eius humili responsione frangeret, dixit Roberto: *Domine nos habemus vos tutorem et defensorem in terra ista, et inter nos, et Dominum Regem nullum alium mediatorem tenemus, nisi vos, rogamus et obsecramus in nomine Domini Iesu Christi, cuius, nos servi sumus, ut libertatem et Iustitiam Ecclesiae huius, quam huc usque habuit, elabi et annihilari non permittatis. Novistis quanto studio, et quam sincera voluntate Domnus Rex Ecclesiam nostram ab omni iniqua consuetudine et exactione absolvit, non voluit ut servi Dei in ea manentes alienis officiis essent occupati, sed die noctuque invigilarent Divinae servituti, et iuges orationes funderent pro se et pro filiis et pro statu regni. Nunc autem Comes iste Boamundus (non volo eum latere unde noster graviter laeditur animus) inquietat nos a contemplatione Divina, provocat ad arma secularia, exigit ut equites, pedites, et expensas immoderatas praebeamus, quas nos, pro certo teneatis, habere non possumus. Nos sumus deputati ad Divinum servitium, non est decens, ut illud deseramus, et sequamur Mundum. Ad haec respondit Comes: Domne Abbas, vos ista dicitis, quia nescitis Regum mutationes, terrae diversas oppressiones. Domnus Rex gratia Divina habet plures oratores in regno suo, sed non habet plures defensores, necessarium est ut defensores gerant clypeos, et protegant oratores; nos neque gerere possumus arma, neque pro regna pugnare, nisi habeamus subsidium vitae. Hoc noscens Domnus Rex et perfecte cognoscens, dedit mihi hanc Abbatiam Sancti Clementis, sicut eam habuerunt antecessores mei, in praesentia huius Roberti eius Cancellarii, qui audivit et vidit, quando mihi data fuit. Illius, si vobis placet, debetis credere testimonio qui nunquam consuevit de talibus mentiri. Quibus verbis Comitum, Robertus, sicut supra diximus illectus, ut Sactum Virum perterreret, assensum praebuit, et quia audierat et viderat quando ei Domnus Rex Abbatiam concesserat affirmare coepit. Tacuit ut potuit Abbas, et expectavit quid Deus faceret super his, nescius quia illi fraudulenter loquerentur, ut possent extorquere ab eo timore quod habere non poterant ex iure. Deus autem invigilavit pro servo suo, et non post multos dies revelata fuerunt haec omnia Regi Rogerio, qui protinus scripsit ad Comitum et misit ei epistolam in haec verba:*

“ Multum mihi displicet quod tu, quem protectorem et defensorem regni mei posui, eleemosynam meam, cameram propriam, requiem mei capitis perturbare, inquietare ausus fuisti, et fortassis merces debita tuae reddetur praesumptioni. Fallaciter egisti erga Sancti Clementis Abbatem et Fratres, cuius orationes mihi clypeus et galea sunt adversus omnem virtutem inimici. Desiste ab hac nequitia, ne praeparata super te descendat ultio, pro hac tua praesumptione tibi destinata et tibi dico per regni fidem, et meorum filiorum spem, si mihi Deus hoc de illis tribuat, quod exopto, nisi desistas, et eos ulterius inquietare praesumas, sicut te feci, ita te destruam, et nomen tuum a filiis hominum ab hac praesenti generatione usque ad extremam. Praesentes autem literas quas tibi dirigo, volo ut tu portes et legi facias in Capitulo, ut audiatur a cunctis, et cognoscatur ab omnibus super Ecclesia Sancti Clementis et habitatoribus eius, quanta sit mea devotio.”

Ut Rex praeceperat ita Comes fecit: literas regias detulit, et eas coram Abbate et Fratribus cum legerentur audivit, et exinde neque Abbati, neque habitatoribus loci, quamdiu Domnus Oldrius vixit, quicquam molestiae facere ausus fuit. Postquam Dominus Deus dedit sibi et gratiam Regis, ut supra diximus, et pacem ab omnibus adversariis eius, coepit Oldrius studere ad decus Ecclesiae, facere libros, ornamenta emere, domos ampliare, et quibuscunque modis poterat, et in terris habere socios, et in coelestibus elaborabat. Conventionem vero, quam habuit cum Ricardo Tergisii potenti viro de quibusdam Ecclesiis Sancti Martini in Gutta, Sancti Ioanni in Scaniani, et Sancti Cesidii, in eius breve legere atque cognoscere possumus. Temporibus siquidem Domni Oldrii Abbatis in Piscariensi Monasterio quaedam virtutum signa sunt patrata, quae ab his, qui noverunt, relata et descripta habentur.

1142.- 43.- 44.- et 45.

Multis itaque virtutibus in tempore Domni Oldrii Abbatis a Beato Clemente ostensis, coepit idem Abbas studiosior in orationibus, et in operibus Ecclesiae sibi commissae inesse. Et per annorum Domini curricula, videlicet millesimo centesimo quadragesimo secundo, tertio, quarto, et quinto, Monasterium religiosissime gubernabat, et quotidie numerum Fratrum inibi Deo servientium augere curabat.

1146. et sequentes usque ad 1151.

Perfecto itaque palatio pro adventantium susceptione cum cellario et cervinaria, continuo campanarium aedificare coepit, fundavitque ipsum in anno Dominicae Incarnationis millesimo centesimo quadragesimo sexto, et per annorum Domini sequentium curricula, et erexit illud in altitudinem passuum undecim. Renovavit altaria, quae non vetustate consumpta, sed humili coemto fuerant fabricata, unum in honore Sancti Benedicti, alterum vero in honore omnium Apostolorum, et ea solemniter fecit dedicari in die anniversaria dedicationis, quae facta fuerat de altario Clementis et augmentata fuit condonatio poenitentiae illis, qui advenirent de duobus annis. Dodo Valvensis altare Sancti Benedicti dedicavi: Grimoaldus Pinnensis Sanctorum Apostolorum, easque Reliquias in eis posuerunt, quae in prioribus altaribus posta fuerant, et de quibus nos aliquantulum in primo libro locuti sumus. Aedificavit etiam Ecclesiam in possessione Piscariensis Monasterii nomine Saline, quam in honore et de Reliquiis Beati Clementis consecrare fecit. Fabricavit etiam Ecclesiam Sanctae Mariae de Alanne, in qua, et in Ecclesia Sanctae Mariae de Castellione, quando eas ad ius Monasterii Piscariensis dedicare fecit, de Reliquiis Beati Clementis in ipsa consecratione recondidit.

Erga defunctos Fratres ita erat sollicitus, ac si unusquisque moriens esset germanus suus; et instituit, atque in Capitulo coram omnibus Fratribus corroboravit, ut pro unoquoque Fratre defuncto fiat centenarius; hoc modo, ut a die obitus unuscuiusque Fratris iustitia, de pane et vino, et ceteris cibis quotidie in Mensa Abbatis ponatur pauperibus tribuenda: in Officiis Defunctorum prima oratio, et ad Capitulum Psalmus et oratio usque ad centesimum diem pro eo dicantur. In septimo namque tricesimo et centesimo die solemnes Vigiliae, et Missae cum pulsatione signorum agantur, et psalteria dicantur ab universis ipsius Coenobii Fratribus, sicut in die depositionis eius. Ampliavit reditus Fratrum in vestimentis ex illis redditibus, qui sibi reddebantur ex Castello Boloniani.

#### *Obitus Oldrii Abbatis Anno 1152.*

Dumque sibi iam deficiente corpusculo sentiret approximare finem vitae, coepit studiosior in orationibus esse; et licet eius oculi essent aliquantulum caliginati prae senectute, tamen speculabatur Deum mentalibus oculis, et orabat assidue ut absolveretur a corpore, et illorum adipisceretur consortium, quorum mores et actus imitatus fuerat. His aliisque pollens virtutibus cum virtutem corporalem per singula momenta sibi minui cognovisset, sensit appropinquare suae terminum vitae, et melior quam antea fuerat, quamvis semper bonus esset, commendabat transitum suum Fratribus et filiis, Ecclesiam vero, quam regendam susceperat, Deo, et Beato Clementi: et sic tactus incommodo corporali, plenus dierum, et perfectus in omni observantia spirituali, Deo reddidit animam pridie Idus Decembris, in anno Dominicae Incarnationis millesimo centesimo quinquagesimo secundo. Rexiit autem Monasterium Insulae Piscariensis, constructum in nomine Sanctae Trinitatis et Beati Clementis Papae et Martyris, viginti quinque annis et octo mensibus, tumulatusque fuit in Capitulo eiusdem Ecclesiae, sicut decens erat, ante Maiestatem nostri Salvatoris, cui famulatus fuerat omni tempore vitae suae devote, et famulari docuerat omnes Filios suos et Fratres sub tenore et Regula Beati Benedicti.

Post mortem Abbatis Oldrii sanctae recordationis, Abbatia Sancti Clementis Insulae Piscariensis multis diebus extitit sine Rectore, quia omnis intentio Fratrum, qui se credebant saniori uti consilio, erat in Domno Leonate, propter quod in eodem Monasterio ab ipso Domno Abbate Oldrio fuerat receptus, et Monachico habitu indutus, et in eiusdem Piscariensis Monasterii institutione a pueritia nutritus, notus probitate, clarus genere, et excellenti ingenio, in Curia Romana iam Subdiaconatus functus officio; et quia iste solus posset sufficere ad conservandam Ecclesiam in pristina libertate. Porro Comes Boamundus Tarsitanus, qui tunc temporis Manuplense Comitatum, terram videlicet consanguineorum ipsius Domni Leonatis, Regis Rogerii dono possidebat, omni nisu Fratres impediabat, ne ipsum sibi facerent Abbatem; timebat enim, ne in aliquo tempore ipse Leonas per Abbatiae potentiam ductus amore ipsorum consanguineorum suorum Manuplensium, quos, ut supra dictum est, Domnus Rex Rogerius exheredaverat, et de toto regno eiecerat, se laederet, et forte de Comitatu expelleret. Nitebatur quidem ut Fratres alium de suis eligerent talem, qui ei non posset resistere, tantumie praevaluit tam ex potentia quam habebat in regali Curia, quam ex applausione quorundam Fratrum, quos sibi fraudulenter illexerat, quod cessata per Regem Rogerium ipsius Leonatis vocaatione, eligeretur in Abbatem ex eadem Congregatione quidam Constantinus nomine: cuius electio et persona cum esset cognita Curiae Romanae, eius iudicio sicut facta fuerat est delata. Eugenius enim Papa sanctae memoriae cum audisset, quia taliter contra suum Subdiaconum, (nam ipse promoverat eundem Leonatem in Subdiaconum) fuisset electus incitatione praefati Comitis, praecepit eum ulterius de eadem electione habere silentium, et cavere, ne pro hac re perturbaret Monasterium, sed permetteret Fratribus secundum Dei timorem eligendi quem vellent liberum arbitrium. Ira fuit Ecclesia sine Pastore, dum advixit praefatus Eugenius, quia impediti erant Fratres non solum persecutione Comitis, verum etiam interdicto et prohibitione Domni Rogerii Regis.

Mortuo autem Papa Eugenio, et succedente sibi beatae recordationis Anastasio, Comes Boamundus, quoniam erat illi familiaris, praesumpsit de eius amore, et exclusum iudicio iterum coegit abbatizare, et contra voluntatem Fratrum occupavit Monasterium, sedit in Sede Abbatis, pervasit palatium, et dum pollicitatione Comitis securum se crederet de consecratione, et paene iam esset in itinere, fratres illi, contra quorum voluntatem electus fuerat, devitantes insidias Comitis Romanam Curiam adierunt, Papae singula retulerunt, quomodo fuerat cassatus iudicio Domni Eugenii sui praedecessoris, et non Fratrum electione, sed manu laicali iterum intrusus, occupabat Sedem, et volebat se facere Abbatem. Quo audito Domnus Papa Anastasius missis literis redarguit, reprehendit impudentiam eius, et praecepit ei sub anathemate, ne ulterius quaereret causa electionis Fratres fatigare.

His ita peractis Rex Rogeriis mandavit Fratribus, qui ad eum in Siciliam perrexerant, ut quia de suis, quos vellent, habere non poterant eligerent saltem de alienis Monasteriis, et eis tria nominavit, quae et habitu et vita multum erant aversa eorum institutioni. Verumtamen quoniam Fratres eius praeceptis obviare nec volebant, nec debebant, unum de Fratribus Sacri Montis, quod Monasterium est in Apulia, nomine Rogerium quaesierunt, habuerunt, et si quamdiu sibi licuit obedientes fuerunt. Et cum ille vellet a Domino Anastasio consecrari, misit quosdam de Fratribus Monasterii, qui ei narrarent et modum suae electionis, et diem peterent, qua haberet optatam consecrationem. Cum audiret Papa tam subitam mutationem, mandavit et praecepit ei per summum obedientiae ut reverteretur ad suum Monasterium, et non impediret locum, quem ipse tenere non poterat; quia decolor eius habitus, et discors conversatio erat a conversatione Fratrum, quos regendos susceperat. Videns autem Comes quod nihil profecisset, et timens, ne illi Pastorem eum sibi facerent, quem ille nec videre, nec sustinere valeret, coepit contra Monasterium et eius possessiones, quae in suo Comitatu erant, apertas inimicitias exercere, Ecclesias invadere, sylvas auferre, in Monachos contra ius et fas manum mittere, et multa adversa et inhonesta de Deo et servis Sancti Clementis mendaciter in populos fabulari, dicens: *Monachi Sancti Clementis nituntur ad illud, quod est impossibile, et volunt duos enses in unum forulum mittere, sed pro certo sciatur, dum fuero Comes, ille, quem sibi exoptant, non poterit esse Abbas.*

Dum haec aguntur, mortuo Rege Rogerio, Wilielmus filius eius ei successit in regnum, vir mirae sapientia et magnae virtutis, qui volens consanguineis suis bona facere, Robertum de Bassavilla Comitem Lorotelli fecit, eique totum Comitatum illum, et vicinas terras supposuit, quia fidelem sibi et ex bono collato devotiorem existimavit. Ille volens dominationem habere etiam in his, quae sibi data non fuerant, Monasterium Sancti Clementis occupavit, homines et quosdam ex Fratribus sibi iurare coegit: Quod factum Domino Regi Wilielmo minime placuit, imo irato animo et vultu indignationis pleno, Roberto novo Comiti mandavit, ut discederet ab hac praesumptione, dimitteret quietam Abbatiam Sancti Clementis, cameram suam propriam, beneficio cumulatam sui genitoris, quam ipse in animo habebat ad proprias manus regias, et sub suae proprietatis et defentionis privilegio tenere prae omnibus aliis circumadiacentibus Abbatibus. Quod audiens Robertus pervasa dimisit, homines a sacramento sibi facto, et Monachos absolvit. Nec multo post Robertus, cui Dominus Rex Wilielmus tot et tanta bona contulerat, seditiose agens contra Dominum suum, maximam partem de regno eius pervasit. Comites suae nequitiae et complices multos sibi associavit, et ultra quam credi potest sublimia de se cogitans, totam terram in modico perturbavit. Qua perturbatione Castella concussa sunt, villae desertae, et plures imminutae Abbatiae, non dico de illis, quae orant sine Rectore, verum etiam illae paene annihilatae sunt, quae erant sub Pastoribus, et multo gubernatae regimine. Huic oppressioni cum aliquantulum resisteret Comes Boamundus, ad ultimum cessit. Supervenerunt enim illi, qui fuerant de Comitatu Manuplenni fugati, et quae sui iuris esse videbantur invaserunt, Comitem expulerunt, et suae prophetiae, (fuerat enim Pseudo-propheta) locum dederunt. Dixerat enim *Quamdiu Comes fuero, Monachi Sancti Clementis illum, quem desiderant habere non poterunt.* Ecce Comes non est, laborent Fratres ad hoc, ut Ecclesia habeat Pastorem sibi a Deo praedestinatum, qui tanquam leo fortis in media inimicorum Dei et Ecclesiae emittat rugitum, suae fortitudinis signum.

1155.

### XXXI. ABBAS LEONAS

Anastasius iam Deo vocante ad coelestia regna migraverat, et Sedem Romanam Adrianus Papa quartus tenebat, ad quem Fratres Coenobii Sancti Clementis perrexerint apud Bitervum, Pastorem, quem iamdiu necessarium praeviderant, et Ecclesiae profuturum sperabant, pro Dei amore et reverentia. Sancti Clementis Dominum Leonatem, Ecclesiae Romanae filium, et sui Monasterii Professum, ut eis donaret, concederet, humiliter rogaverunt. Quorum petitioni Adrianus obviare minime decrevit, imo statim congregato Cardinalium coetu, quem petebant praefatum Leonatem eis concessit, et quia non erat in praesentia, mandavit ei, et quodammodo ad suscipiendum onus coegit literis suis Dominus Papa, ut ad Monasterium accederet, sedem a Deo sibi paratam acciperet, curam gregis sibi commissi ageret, inimicis Dei, et Ecclesiae viriliter resisteret, et ita faceret, quod honor suus esset Romanae Ecclesiae, quae eum a pueritia educatum exaltare et sublimare desideraret. Quid multa? Vocatus venit, invitatus sibi iniunctum officium suscepit. Sicque factum est, ut Fratres, qui eius desiderio longo tempore fuerant fatigati, Divino respectu acciperent ad quem. anhelabant. Facta est itaque eiusdem electionis celebratio Dominicae Incarnationis anno millesimo centesimo quinquagesimo quinto, Indictione tertia.

In eo tempore tanta erat perturbatio populi, maxime in hac regione, seditionis Comitis Roberti de Lorotello, ut vix posset inveniri aliquis locus immunis a proelio; tanta erat aviditas in satellitibus spoliandi, quod non parcebant alicui, non dico de secularibus, verum etiam de illis; qui servitio Dei vacantes manebant in Claustro.

Electus itaque Leonas, decimo die electionis suae, cum pro quibusdam causis inimicaretur filiis Berardi de Castellione, congregata militum et peditum armorum multitudo, obsedit Bitorritum, et tamdiu mansit in obsidione, donec Rainaldum Castellum Dominum et Castellum cepit. Castellum tenuit in sua proprietate, Rainaldum coegit iurare. Post haec volens ire in Aprutium, quia noviter electus nondum fuerat, susceptus per cuncta loca Monasterii, et putans invenire fidem in fratrem suum uterinum, commendavit totam terram Sancti Clementis fratri suo Perronio, et post haec quo praeordinaverat Aprutium tetendit, ibique pro negotiis illis aliquandiu est moratus. Interim Perronius frater suus cuius in custodia terram Sancti Clementis posuerat, proditorie agens, Castillum Belonianum depulsis custodibus occupavit et tenuit, de fraude non

erubescerebat. Cui cum electus revertens malum, quod fecerat, intimaret, et ut Castellum, quod proditorie invaserat redderet, bis terque rogaret Unde sibi respondit. *Reddam tibi Belonianum, si tu nobis reddis Brittoritum, quia Rainaldus qui illud possidebat, fuit noster bassallus.* His discti quod tenebat tenuit, et quia sorte erat Castellum, nulli reddere voluit. Electus autem habito consilio interposita conditione, reddidit ei Bitorritum, et recepit Belonianum. Et haec fuit conditio quod unus ex fratribus Perronii faceret hominum Beato Clementi pro Bitorrito medietate Corvariae, et censum animatim redderent constitutum absque dilatione. Ille autem, qui hoc scelus fecerat, non diutius gavisus fuit, sed pauco post temore correptiis gravi infirmitate, sine herede ab hac vita discessit.

Hoc igitur tempore Domnus Papa Adrianus Beneventi manebat, ubi Domnus Leonas electus ad eum accedens, petiit ab eo consecrari: quod petierat meruit adipisci, et pro dignitate Abbatiae summi Pontificis Sancti Clementis decoratus mitra pontificali, cum gloria et honore reversus ad propria, Abbatis est insignitis officio, redimitus baculo pastoralis. Reversus itaque a sua consecratione susceptus a Fratribus debita cum reverentia, mansitque in Abbatia, et adversariis, qui volebant Ecclesiam suppeditare, fortiter resistebat. Gualterius Comes Manuplelli, qui pervaserat Comitatum in tempore dissidii, coepit eum primitus persequi, et Colleodunum quod muniverat, Belonianum violenter abstulit ei. Verum quia Domno cura erat de loco suo, non multo post tempore, adveniente Rege Wilielmo, fugatus Comes illi de pervaso Comitatum, et invitatus dimisit Castella Beato Clementi. Praefati ceteri Comites Manuplelli, et ceteri complices eorum, dum devastarent maximam partem regni Rex Siciliae Wilielmus veniens cum maximo exercitu depulit eos, terramque liberavit. Verum quia praefatus Abbas Leonas non habebat integre gratiam eius, perrexit Romam ad Domnum Papam Adrianum, qui eum in Abbatem consecraverat, a quo cum maxima honorificentia susciperetur, tandiu mansit ibi, donec mediante eodem Domno Adriano amorem Regis habuit, et integram gratiam apud eum invenit, et sic ad Abbatiam suam reversus quanto studio potuit ad augmentum eius invigilavit.

Hac tempestate praefatus Comes Boamundus Tarsitanus a Domno Rege Wilielmo captus, et in vinculis positus fuit. Cumque Rex ipse sibi pepercisset, et a captione liberasset, non multo post Tarsiam reversus, subito lateris dolore correptus, moriens ibidem vitae finem accepit, nullosque de suis heredibus in Comitatu Manuplellensi, per quem Sanctum Clementem, et suam Piscariensem Ecclesiam offenderat, potuit ei succedere. Quo mortuo idem Rex alium Boamundum Comitatus Manuplelli praefecit, qui sequens praedecessorum vestigia, et irritans adversus se Dei potentiam, coepit devastare Sancti Clementis possessiones, quae intra Comitatum eius detinebantur, ambitione etiam in Ecclesia debacchabatur. Haec dum ita aguntur exules iterum terram intraverunt, Comitem Boamundum expulerunt, Abbati Leonati Abbatiam abstulerunt. Perrexit itaque in Siciliam Abbas nec multo post Rex mari terraque suos persequitur: quibus fugatis liberata est Abbatia Sancti Clementis quam revertens Abbas Leonas cum gratia et amore Regis studebat regere Abbatiam sibi commissam. Et quia volebat, quod Abbatia sibi commissa contra adversarios innumerabiles muniretur, libertatis privilegium et munitiois impetravit a sanctae recordationis papa Adriano, quod descriptum sic est.

1158.

## PRIVILEGIUM

*Domni Papae Adriani.*

“ Adrianus Episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Leonati Abbati Monasterii Sancti Clementis de Insula Piscariae, quae Casa-aurea vocatur, eiusque Fratribus tam praesentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. Effectum iusta postulantis indulgere, et vigor aequitatis, et ordo exigit rationis, praesertim quando potentium voluntatem pietas adiuvat, veritas non relinquit. Quocirca dilecti in Domino Filii, vestris iustis postulationibus clementer annuimus, et praefatum Monasterium ubi corpus Beati Clementis Papae et Martyris requiescit, et in quo Divino mancipati estis obsequio, ad exemplar praedecessoris nostri felicitis memoriae Leonis Papae sub Beati Petri et nostra protectione suscipimus, et praesentis scripti privilegio communivimus.

*Satuentes et cetera ut in Privilegio praefato Leonis Papae.*

Interdicimus insuper, ut nullus Episcopus ubi Synodum celebret. Chrisma, Oleum Sanctum. Consecrationes altarium, seu Basiclicarum, ordinationes Monachorum, seu Clericorum, qui ad sacros Ordines fuerint promovendi, a quocumque malueritis suscipiatis Episcopo. Obeunte vero te nunc eiusdem loci Abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet suceptionis astutia seu violentia praeponatur, nisi quem Fratres communi consensu, vel Fratrum pars consilii Canioris sanioris secundum Deum, et Beati Benedicti Regulam providerint eligendum, et cetera.

Ego Adrianus Catholicae Ecclesiae Episcopus subscripsi.

Ego Gregorius Sabinensis Episcopus.

Ego Hubaldus Hostiensis Episcopus.

Ego Iulius Prenestrinus Episcopus.

Ego Galterius Albanensis Episcopus.

Ego Bernardus Portuensis et Sanxtae Rufinae Episcopus .

Ego Hubaldus Presbyter Cardinalis tituli Sanctae Crucis in Jerusalem.

Ego Ottavianus Presbyter Cardinalis tituli Sanctae Ceciliae.  
Ego Ioannes Presbyter Cardinalis tituli Sanctorum Ioannis et Petri, tituli Pamachii.  
Ego Ioannes Presbyter Cardinalis tituli Sanctiorum Silvestri et Martini  
Ego Ildebrandus Presbyter Cardinalis Basilie duodecim Apostolorum.  
Ego Guido Presbyter Cardinalis tituli Sancti Calixti.  
Ego Iohannes Presbyter Cardinalis tituli Sanctae Anastasiae.  
Ego Bonadies Presbyter Cardinalis tituli Sancti Grisogoni.  
Ego Guillelmus Presbyter Cardinalis tituli Sancti Petri ad Vincula.  
Ego Oddo Diaconus Cardinalis Sancti Georgii ad Vellum-aureum.  
Ego Iacintus Diaconus Cardinalis Sanctae Mariae in Cosmidin.  
Ego Ardicio Diaconus Cardinalis Sancti Theodori.  
Ego Cinthius Diaconus Cardinalis Sancti Adriani.  
Ego Petrus Diaconus Cardinalis Sancti Eustachii iuxta templum Agrippae.

Datum Laterani per manum Rolandi Sanctae Romanae Ecclesiae Presbyteri Cardinalis et Cancellarii, secundo Idus Martii, Indictione sexta, Incarnationis Dominicae anno millesimo centesimo quinquagesimo octavo: Pontificatus vero Domni Adriani Papae quarti anno quinto.”

Praeterea Dominicae Incarnationis anno millesimo centesimo quinquagesimo octavo, Indictione sexta, recuperata Ecclesia Sancti Quirici de Monte Silvano, quae ab antiquo iuris erat Monasterii Beati Clementis, concessit eam Wilielmo filio Sadoch, et fratribus suis, usque in viginti novem annos, sub tali censu, quod omni anno circa Festum Beati Clementis centum pisces marinos persolverent, et iuramento ab eo recepto Abbas ei sub tenore in charta descripta Ecclesiam habere permisit. In tempore siquidem Domni Abbatis Leonatis propter bonam famam, quae de Monasterio Beati Clementis longa lateque pervolabat, et praecipue pro liberalitate, et hospitalitatis humanitate, quam circa omnes homines ipse nobilis Abbas pleno obsequio exhibebat, quamplurim de diversis partibus et maxime de Civitate Sulmonae excitati, Mundum relinquebant, et sua omnia seseque dedentes pauperibus, et in Monasterio Sancti Clementis manentes Christum sequebantur, de quibus paucos praesenti paginae inserere decrevimus.

Quidam Walterius in eodem Monasterio effectus, inter cetera, quae dedit, fecit conventionem de una Cannapina in loco, ubi Albe vocatur, sicut in charta exinde facta perlegitur. Simon Guarimundi in Civitate Sulmonae dedit palatium, quod habebat, et terras, et partem Ecclesiae Sanctae Andreae, quae ad eum pertinere videbatur hereditario iure, et effectus est Monachus Sancti Clementis. Petrus Alberti similiter se Monachum faciens quicquid habebat dedit. Ioannes Blancus et Petrus Walterii quicquid habebant Deo praebuerunt et Beato Clementi. Adam Guarimundi cum filiis suis facta convenientia cum Domno Abbate Leonate, refutavit per chartulam obligationis quicquid iuris et rationis credebatur se habere in rebus et possessionibus a suprascripto Simone Monacho Monasterio largitis, quando Monasticum habitum suscepit, indeque refutationis literas Monasterio porrexerunt. Berteraimus faciens se Monachum in praefato Coenobio dedit Casam suam, et partem Ecclesiae Sancti Iohannis, et quaecumque habebat Deo et Beato Clementi, cui famulari decreverat. Quidam Sacerdos, Senaldus nomine, tenebat de possessionibus Abbatiae, quae ad tempus statutum fuerant sibi data; et cum ultra statutum ea teneret, nec Ecclesiae reddere, nec pro eis servire vellet. Abbas illa, quae tenebat, accepit, et ne de his ulterius se intromitteret interminando vetuit: qui praesumptioni addidit contemptum, et invasit quod sibi fuerat vetitum. Unde in Curiam Regis adductus, convictus de praesumptione, quod male tenebat perdidit iure, quod iustum erat pro contemptu regio persolvit regali Curiae, sicut instrumentorum chartulae inde descriptae legitime perdocent.

1163.

Celebrata siquidem est haec Curia apud Sanctum Clementem, quodam viro, nomine Somaro Tranensi, Regio Camerario, ipsam distringente, anno Dominicae Incarnationis millesimo centesimo sexagesimo tertio, regnante Domno Wilielmo felicissime Rege Siciliae.

Iste quidem Abbas tempore suo recuperavit Monasterium Sancti Mauri de Amiterno, quod antiquo iure fuit Monasterii Sancti Clementis, ibique unum de Fratribus sui Coenobii pro regimine ordinavit, maxima in eadem regione de ipsius possessionum parte reacquisita. Recuperavit etiam Ecclesiam Sanctae Mariae de Fasonaria, quae cum ex antiquitate iuris esset Beati Clementis, quidam Barones Pinnenses, videlicet Gentilis de Brittilis, et alii eam invaserant, et male tenebant; sed Domnus Abbas Leonas sua fortitudine, ac regia auctoritate ipsam recepit et tenuit: et postea de sua Congregatione Monachos ibidem Praepositos ordinavit.

Per idem tempus illustris Abbas Leonas in Apuliam ambulavit, Alifinensem Civitatem adiit, ibique honorifice a Goffredo Comite viro famosissimo venerabiliter est receptus; ubi cum inter se multa familiaritate delectarentur, idem Comes divinitus compunctus reddidit Sancti Clementis locum in eodem Alisinensi lacu, in quo antiquitus fuerat in honore Sancti Clementis Ecclesia constructa iuris Monasterii Piscariensis, cum domo et possessione terrarum quondam Widonis de Baro, et largissimis aliis possessionibus in eadem regione; cum hominibus et eorum redditibus, cum piscationibus et ceteris rebus, quae in chartula donationis ab eodem excellentissimo Comite ex eisdem rebus legitime facta et testibus idoneis roborata inveniuntur.

Post haec Dominus Abbas artifices cum expensis, et operarios illuc transmisit; equos, et animalia direxit, in eodem loco devoto affectu funditus Ecclesiam construere fecit; qua constructa ipsemet cum Domino Iohanne religiosissimo Signensi Episcopo ad eandem Ecclesiam accessit, eamque solemniter dedicare fecit, positus in eiusdem Ecclesiae Altari Reliquiis Sancti Clementis, et aliorum Sanctorum quas a suo Coenobio reverenter asportaverat. Deinde religiosos viros ibidem posuit, qui et locum augerent, et Omnipotenti Deo regulariter deservirent.

Eodem tempore vir per omnia Catholicus Dominus Alexander de Francia reversus Romae pontificabatur, ad quem Dominus Leonas Abbas quendam fratrem, *Iohannem Berardi* cognomine, in ipso Coenobio a pueritia nutritum, et regularibus disciplinis instructum visitandi gratia direxit; per quem impetravit privilegium defensionis et tutelae contra eos, qui Piscariense Monasterium offendunt atque molestant, ad instar praedecessorum suorum, qui eidem Monasterio privilegia indulserunt.

*Ab Ughellio privilegium exsprisimus.*

“ Alexander Episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis Leonati Abbati Monasterii Sancti Clementis de Insula Piscariae, quae Casa-aurea vocatur, eiusque fratribus tam praesentibus quam futuris regulari vita professis in perpetuum. Religiosis votis annuere, et eam operis exhibitioni complere officium nos invitat suscepti regiminis, et ordo videtur exigere rationis. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris iustis postulationibus clementer annuimus, et praefatum Monasterium, ubi corpus Beati Clementis Papae, et Martyris requiescit, et in quod divino estis mancipati obsequio ad exemplar Praedecessorum nostrorum Romanorum Pontificum felicitis memoria Leonis, Calisti et Adriani sub Beati Petri, et nostra professione suscipimus praesentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem ut ordo Monasticus, qui secundum Dominum, et Beati Benedicti Regulam in eodem Monasterio institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Praeterea possessiones quascunque, quaecumque bona idem Monasterium in praesentiarum iuste, et canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, liberalitate Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis, praestante Domino poterit adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus et illibata permaneant, in quibus haec propriis duximus exprimendis vocabulis, in Comitatu Pinnensi Castellum Insulae cum tota ipsa insula. Castillionem, Ubicolam, Pesculiam, Roccham de Sutri, Corvariam, Petraminiquam, Betorites, Mandesorum, Casale Planum, Coledunum cum pertinentiis suis, Castrum quod vocatur Casale Sancti Desiderii: in Civitate Sancti Angeli, Castellum Sancti Mori cum portu, et suis pertinentiis: in Comitatu Theatino Castrum Bolonianum cum pertinentiis suis: in Comitatu Aprutino Castrum Guardiae, Castellum vetulum, Monaciscum cum pertinentiis suis: in Comitatu Valvensi Casale quod dicitur Sanctae Trinitatis cum pertinentiis suis. In Marchia Castrum Lori cum pertinentiis suis, Ecclesiam Sanctae Mariae in Plesiano, Ecclesiam Sanctae Mariae ad Fasinariam, Ecclesiam Sancti Quirici de monte Silvano cum pertinentiis suis. In supradicto Comitatu Theatino Ecclesiam Sanctae Mariae de Pesilo, Ecclesiam Sancti Angeli de Casule. Ecclesiam Sancti Cesidii, Monasterium Sanctae Trinitatis de Lapidaria cum pertinentiis suis. In Caramanico Ecclesiam Sanctae Crucis, et Sancti Nicolai cum pertinentiis suis, Ecclesiam Sancti Martini ad Gricam, Ecclesiam Sancti Ioannis Iscamari, Ecclesiam Sancti Silvestri apud Manupellum cum pertinentiis suis; Cellam Sancti Clementis in Lisina cum pertinentiis suis. Monasterium Sancti Mauri de Emiterno cum pertinentiis suis, Montem de Ursa Monte de Tarini, Montem Soti cum rupibus, et sylvis eorum. Concedimus etiam vobis, vestrisque successoribus decimationem terrarum Ecclesiae vestrae, et partem oblationum quae pro mortuis offeruntur. Interdicimus insuper, ut nullus Episcopus ibi Synodum celebret. Chrisma, Oleum Sanctum, consecrationes altarium, seu Basilicarum, ordinationes altarium, ordinationes Monachorum, seu Clericorum, qui ad sacros ordines fuerint promovendi, a quocumque malueritis suscipiatis Episcopo. Obeunte vero te nunc eiusdem loci Abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia praeponatur, nisi quem.....de communi consensu vel fratrum pars consilii sanioris secundum Dominum, et Beati Benedicti Regulam providerint eligendi. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat praefatum Monasterium temere perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas obtinere, minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione, sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva in omnibus Apostolicae Sedis auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica saecularisque persona hanc nostrae constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo, tertiove commonita, non reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestate, honorisque sui dignitate careat, eamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a Sacratissimo Corpore et Sanguine Dei, et Redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtae ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco sua iura praeservantibus, sit pax Domini nostri Iesu Christi quatenus et hic fructum bonae actionis percipiant, et apud districtum iudicem praemia, aeternae pacis inveniant. Amen, Amen, Amen.”

Nos itaque qui supra Nicolaus Petri iudex instantia praedicti Domni Abbatis praedictum privilegium per manus mei praedicti Notarii Nicolai, et in praesentia testium subscriptorum auctoritate nostri officii authenticatum, et transcribi de verbo ad verbum nihil addito, vel mutato, et ipsius transcriptum in praesens redigi fecimus publicum instrumentum. De quibus omnibus qualiter in nostri praesentia gesta, et acta sunt pro futuri temporis memoria, et praedicti Domni Abbatis, ac Monasterii, et omnium quorum interesse poterit cautela factum est hoc praesens publicum instrumentum de mandato praedicti Iudicis, signo meo solito signatum signis, et subscriptionibus praedictorum Iudicis, et testium legitime roboratum. Quod scripsi ego qui supra Nicolaus Francisci de praedicto Castro Alandi publicus ubilibet per totum Regnum Siciliae

Regia, et Reginali auctoritate Notarius: et quia de praedictis omnibus rogatus interfui ipsum solito meo signo signavi, super quibus omnibus praefatus Cola Ciccarelli Camerarius pro Tribunali sedens, et Curiam regens, suam auctoritatem interposuit, et decretum.

Ego Alexander Cacolicae Ecclesiae Episcopus.

Ego Bernardus Portuensis, et Sanctae Rufinae Episcopus.

Ego Gualterius Albanus Episcopus.

Ego Ugo Tusculanus Episcopus .

Ego Corradus Maguntinae Sedis Archiepiscopus, et Sabinensis Episcopus .

Ego Ubalduus Presbyter Cardinalis tituli. Sanctae Crucis in Ierusalem.

Ego Ioanne Presbyter Cardinalis Sanctorum Ioannis et Pauli tituli Pammatii.

Ego Henricus Presbyter Cardinalis Sanctorum Nerei, et Achillei.

Ego Guillelmus Presbyter Cardinalis tituli Sancti Petri ad Vincula.

Ego Bosa Presbyter Cardinalis Sanctae Pudencianae tituli Pastoris.

Ego Hyacinthus Diaconus Cardinalis Sanctae Mariae in Cosmedin.

Ego Oddo Diaconus Cardinalis Sancti Nicolai in Carcere Tulliano.

Ego Arditio Diaconus Cardinalis Sancti Theodori.

Ego Manfredus Diaconus Cardinalis Sancti Georgii ad Velum-aureum.

Ego Ugo Diaconus Cardinalis Sancti Eustachii iuxta templum Agrippae.

Ego Vitellius Diaconus Cardinalis Sanctissimorum Sergii, et Bacchi.

Ego Theodinus Diaconus Cardinalis Sanctae Mariae in Portico.

Ego Petrus Diaconus Cardinalis Sanctae Mariae in Aquiro.

Datum Laterani per manum Ermanni Diaconi Cardinalis Sancti Angeli decimoquinto Kalendas Aprilis, Indictione decimaquinta, Incarnationis Dominicae anno millesimo centesimo sexagesimo sexto, Pontificatus vero Domni Alexandri Papae III. anno sexto". Hic Abbas impetravit, ut Castellum Sancti Mauri, super litus maris Adriatici quondam situm, reaedificaretur ad suae Ecclesiae profectum. Sed quibusdam in hoc facto fraudulenter adversantibus, id efficere non potuit. Tamen inde concessionis chartulam a regali Curia acquisivit. Constituit etiam, ut Frater Monachus, qui Sanctae Mariae de Pesile fuerit Praepositus, habeat etiam in augmentum suae necessitatis Praeposituram Sancti Angeli de Casule, salvis omnibus redditibus, quae ipsae ambae Ecclesiae Sancto Clementi persolvere debent, ut chartula docet.

Tunc temporis cum Rogerius de Tocco cum fratribus suis ipsam terram tenerent, concesserunt Sancto Clementi Ecclesiam Sancti Victorini, sitam in ipsa pertinentia Tocci, indeque confirmationis literas facientes, eas Monasterio porrexerunt.

Confluxit praeterea Leonas Abbas multotiens cum adversariis Ecclesiae; praecipuae cum Comite Boamundo Manuplulli, qui post priorem Comitem Boamundum Tarsensem in possessionibus Ecclesiae debacchatus est, et persecutus Ecclesiam Sancti Clementis, odio ipsius Abbatis, et gentis suae. Habuit siquidem conflictum cum eo semel apud Salernum, ibique coram Simone Senescalco, totius regni Magistro Capitaneo, et tota regali Curia super rationibus Ecclesiae, confutavit eum atque devicit. Deinde in Apuliam apud Foias coram Comite Gilisberto similiter tunc temporis Magistro Capitaneo, et gubernatore totius regni, et tota regali Curia, querelis depositis rationabiliter devicit et superavit. Igitur res, quae ex ipsis quaestionibus recuperatae fuerunt hae sunt: Videlicet quaestio fuit de montibus, et lignis silvarum montis Ursae, Tarini atque Magelle. Quaestio fuit de Ecclesiis et Obedientiis magnis et minimis per Comitatum Manuplullensem constitutis, Ecclesiae Sancti Clementis subditis et pertinentibus. Quaestio quoque fuit de hominibus in eodem Comitatu eisdem Ecclesiis subiacentibus. Quaestiones aliae plures fuerunt, super quibus omnibus Dominus Leonas potenter obtinuit. Indeque iudicio regalis Curiae ab eodem Comite Boamundo reinvestitus eas res accipiens possedit. Porro Comes Boamundus cum iterum contra Monasterium Sancti Clementis ageret ex consilio cuiusdam militis, qui Thomas de Venusio vocabatur, Monachos de Obedientiis eiecit, ipsas sub laicorum procuracione posuit, et ex omnibus rebus suae terrae Piscariense Monasterium expoliavit. Unde Fratres indignati Thomam ipsius nequitiae consiliarium ex communicantes quotidie in eius anathema tribus vicibus omnia Monasterii signa pulsabant. Contigit nempe ipsum Comitem cum eodem milite in Siciliam eo tempore abire: Cumque Mesanam venisset idem Thomas gravissimam infirmitatem incurrit, ex qua nec dormire, nec etiam in lecto requiem aliquam habere poterat. Dicebat enim, quia sonitus omnium Campanarum Ecclesiae Sancti Clementis erat in auribus eius, qui dolorem gravissimum dabat in capite, et somnum repellebat ab oculis. Itaque sic percussus iacens, et talibus ictibus mori timens, cuidam Episcopo languoris sui periculum confessus est Episcopus autem ille causam omnem ex eius ore dignoscens, et quod pro suo malo consilio, sicut supra dictum est, excommunicatus esset, consuluit eum, ut daret operam emendationi. Convocato denique praefato Comite, et literis emendationis impetratis, statim ut nuntius missus est, ut Ecclesiae et res supradictae de terra Comitatus Piscariensi Monasterio sublatae redderentur, ipse Thomas convalescens ab eadem infirmitate, virtute Dei et Martyris placatione Clementis est liberatus. Denique Comes Boamundus non multo post ad mortem veniens, et de molestiis Ecclesiae Sancti Clementis illatis, profundis suspiriis se recognoscens, in ultimo testamento per manus venerabilis Episcopi Iohannis Signensis restituit Beato Clementi Sanctam Crucem de Carama nico. Et Sanctum Cesidium de Tocco, et quicquid iuris Sancti Clementis erat, et ipse molestaverat in toto Manuplullensi Comitatu, in montibus et planis, in lignis, et petris, in terris, et molendinis, in hominibus, et eorum

reditibus, in Ecclesiis, et Ecclesiasticis censuris, reddidit, et perpetim quietavit. Unde ab eiusdem Coenobii Fratribus absolutus mortis debitum solvit. His ita recuperatis Dominus Leonas easdem res sine inquietudine tenuit, et pacifice possedit usque ad tempus.

Rursus plures Sulmonensium civium divinitus compuncti, quotidie res suas Sancto Clementi porrigentes in suo Coenobio Monasticam vitam eligebant. Qui vero fuerint et eorum nomina, et possessiones in chartis exinde legitime factis, et testibus idoneis roboratis, ac Monasterio feliciter porrectis, pleniter inveniuntur. Cum igitur apud Sulmonem, sicut dictum est, possessiones Beati Clementis augmentarentur, et Deo faciente vehementer excrescerent, Dominus Abbas Leonas accepto fundo a regali Curia construxit oratoriam domum in angulo ipsius Civitatis, circa portam, quae dicitur Maranesca, ut Fratres, qui pro negotiis et eisdem rebus custodiendis et conservandis mitterentur, haberent ubi psallerent, et in Officiorum obsequiis se frequentius et liberius ibidem occuparent. Porro in hoc facto Episcopis Ecclesiae Valvensis cupiditate ductis fortiter eidem Abbati resistentibus Oratorium ipsum ad consecrationis effectum perducere destitit; imo propterea multa ex supradictis possessionibus et rebus a se acquisitis, beneficiali ordine locavit et ipsis Sulmonensibus sub certo tempore et annuali censu concessit, sicut in ipsis scriptis concessionis reperiri potest et legi. Consecravit tamen in eodem Episcopatu per manus Berardi Furconensis Episcopi Sanctae Trinitatis Ecclesiam de Pacentro, nuper ex combustione violatam. Per eundem etiam Episcopum consecravit nonnullas alias Ecclesias in terra Sansonesca, videlicet Ecclesiam Sancti Angeli in Castello de Petranica: Ecclesiam Sancti Antonini in Bectorrita, Ecclesiam Sancti Pelini de Pantano: in terra vero Sancti Clementis Sanctum Bartholomaeum de Orta, et Sanctam Mariam de Vadulato. Item in terra Sansonesca consecravit alias Ecclesias renovatas per manus Domni Oderisii Valvensis Episcopi, unam videlicet Sancti Felicis de Teczanico, alteram Sanctae Mariae de Cerbarano. Infra Monasterium vero renovavit altare Beati Nicolai, et consecravit per manus praefati Domni Berardi Furconensis Episcopi. Capellam vero apud infirmatorium constructam, similiter per eundem Episcopum solemniter dedicavit.

Recuperavit profecto in regali Curia super quendam strenuissimum virum Wilielmum Morelli nomine, Baronem Aprutinum, homines iuris Beati Clementis, quos in Castello de Ripa Wilielmus idem sibi violenter vindicaverat: unde iudicio regalis Curiae de ipso Castello praefatis hominibus abstractis, vocabulo Sancti Georgii, Castellum construxit, et in eo ad profectum Ecclesiae homines posuit atque minuit. Cum uterinis quoque fratribus suis, et aliis potentibus viris sui generis, pro rationibus Ecclesiae dimicavit, et multoties cum ipsis est altercatus de possessionibus Ecclesiae, quas invadebant; de censu quem non persolvebant, de pontibus quos evertabant; de Ecclesiis Clericis, quos sibi vendicabant de multis molestiis, quas inferebant. Unde in quibusdam, videlicet super Clericorum pressuris, et Ecclesiasticis censuris, ita quandoque per se, et sententiam excommunicationis in eos promulgatam, quandoque per literas Apostolicae Sedis, et interminationis ipsius Romani Pontificis, quandoque per literas regiae auctoritatis eos compescuit, quod in maiorem iurisdictionem Ecclesiae Sancti Clementis, Clerum et totum paene ius Ecclesiasticum, et in melius, quam antea fuerat convertit.

## EPISTOLA ALEXANDRI PAPAE

*Ad Ricardum Gentilem de Terra  
Sansonesca.*

“Nobili Viro Ricardo Gentili: super prudentia et nobilitate tua non possumus non mirari, quod cum Ecclesia Beati Clementis mater tua existat, et tota terra Sansonesca ad eam ab ipso foundationis exordio de iure pertineat, et quicquid tam tu, quam Fratres tui de eadem terra tenetis a praedicta Ecclesia recognoscere, et inde sicut progenitores vestri, et alii qui eam per tempora tenuerunt, fecisse noscuntur, annum censum reddere debeatis, ipsam Ecclesiam, quam pietatis intuitu, et ratione fratris, obtentu quoque dominii, quod in te fratres tuos habere dignoscitur, deberes diligere, et ab omnibus defensare, opprimere et perturbare praesumis, et tibi Ecclesias suas vindicare, et Clericos contra Abbatem manu tenere, et etiam excommunicatos et interdictis defendere non vereris. Unde quoniam hoc animae tuae periculosum existit, et nos id nulla ratione volumus, sicut non debemus, in patientia sustinere; industriam tuam monemus, et tibi ex parte Dei et nostra mandamus, ut a molestia et infestatione praedicti Monasterii omnino desistens, ei Ecclesias et alia iura sua liberie et quiete dimittas. Clericos vero, quos idem Abbas pro multis excessibus suis, et quia Capitulo inobedientes fuerunt, ab officio suspendit, et excommunicationis vinculo innodavit, tanquam excommunicatos evites, et eos deinceps contra Abbatem in nullo defendere vel manu tenere praesumas. Quod si ulterius feceris, te noveris excommunicationis vinculo innodandum, et si nec sic resipueris, per Regem te faciemus, prout dignum fuerit, corrigi, et ab his cessare molestiis.”

Hic Abbas constituit, ut nullus Clericus in terra Sansonesca ordinetur, nisi ab Ecclesia Casauriensi sibi licuerit: ordinatus Presbyter nullatenus Missam celebret, nisi prius Basilicae Sancti Clementis se repraesentet, et sub Evangelico iuramento legat capitularem Canonem ibidem descriptum. Prohibuit etiam sub poena depositionis, ut nullus ipsorum Clericorum ab eisdem Dominis secularibus investituras Ecclesiarum accipiat. Iste siquidem Dominus Leonas Abbas cum in Apuliam ad felicissimum Regem Wilielmum secundum pro negotiis Ecclesiae suae accessisset, sacrum ab eo praeceptum attulit sigillo regio roboratum, de adulteriis, quae fierent in tota parrochia sua coercendis, et de personis Clericorum ab omni potestate et iudicio laicorum exemptis.

## PRIVILEGIUM

*Wilielmi Regis.*

“ Wilielmus Dei gratia Rex Siciliae, Ducatus Apuliae, et Principatus Capuae, Comitibus, Camerariis, Iusticiariis, Baronibus, et universis Baiulis, qui sunt de parrochia Abbatiae Sancti Clementis de Piscaria, fidelibus suis salutem, et dilectionem. Leonas venerabilis Abbas Sancti Clementis de Piscaria, fidelis noster, ostendit Maiestati nostrae dicens, quod Ecclesia sua privatur et diminuitur a vobis de iure suo, videlicet de adulteriis, quae non permittitis iudicari et corrigi in Curia ipsius Ecclesiae sicut debent; et de personis Clericorum, quae a vobis ut laici iudicantur, capiuntur et incarcerantur: quod si verum est, admodum nobis displicet, et grave ferimus. Non enim decet, neque volumus, ut ea quae ab Ecclesia iudicari et coerceri debent, a vobis iudicentur vel puniantur. Quare mandamus universitati vestrae, et praecipimus, ut amodo de adulteriis iudicandis non vos intromittatis, sed si quis de parrochia praedictae Abbatiae Sancti Clementis de adulterio accusatus, vel in eo deprehensus fuerit, ad iudicium Curiae nostrae, videlicet de insultu et violentia iudicetur ab ipsa Curia nostra. De personis autem Clericorum volumus et iubemus, ut si aliquis Clericus socius Parrochiae praedictae Abbatiae Sancti Clementis de aliquo forisfacto, de quo de persona iudicari vel condemnari debeat, appellatus fuerit, non a vobis, neque in Curia vestra, sed ab Ecclesia, et in Curia Ecclesiae, de hoc, quod ad personam suam spectat, iudicetur, et corrigatur, iuxta Canones et ius Ecclesiasticum. Excepto si aliquis Clericus fuerit appellatus de prodicione, vel de alio huiusmodi magno maleficio, quod spectat contra Maiestatem nostram; quod si acciderit, volumus et praecipimus ut de hoc quod spectat ad iudicium Ecclesiae, iudicetur ab Ecclesia, et de hoc, quod spectat ad iudicium Curiae nostrae, iudicetur ab ipsa Curia nostra. Si vero aliquis Clericus de hereditate vel de aliquo tenimento, quod non ab Ecclesia sed a vobis, sive per patrimonium sive aliunde in terris vestris teneat, appellatus fuerit, ut de hoc in Curia illius, in cuius terra possessiones vel tenimentum habuerit, respondeat, et quod iustum fuerit, faciat, non tamen ut persona sua exinde capiatur, aut incarceretur. Praeterea vobis Baiulis praecipimus, ut ad praedicta adulteria coercenda et corrigenda eidem venerabili Abbati, fideli nostro, in quibus opus fuerit auxilium tribuatis.

Datum Salerni primo die Idus Iunii, Indictione quinta.”

1170.

Per idem tempus anno videlicet Dominicae Incarnationis millesimo centesimo septuagesimo, cum Domnus Leonas Abbas Subdiaconatus fungeretur officio, competenter ab Ecclesia Romana vocatus, apud Verulas a Domino Papa Alexandro in Diaconum Apostolicae Sedis est promotus duodecimo Calendas Aprilis Sabbato ante Dominicam de Passione. Eodem insuper anno Apostolicis literis autorizavit sestum Translationis corporis Beati Clementis, omni anno sexto Calendas Iunii solemniter celebrandum.

## EPISTOLA DECRETALIS

*Alexandri Pape III.*

“ Alexander Episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Leonati Abbati, et Conventui Sancti Clementis de Piscaria, salutem et Apostolicam benedictionem. Licet omnes qui pia et religiosa loca intuitu devotionis frequentant, et ibidem omnipotentem Dominum devotis orationibus et votivis cordis affectibus sibi reddunt placatum, suorum mereantur percipere veniam delictorum, in solemnibus tamen et praecipuis festivitatibus tanto celebrius eadem loca debent ab universis Dei Fidelibus frequentari, et maiore devotione et reverentia venerari, quanto devotius tunc Ecclesiastici viri obsequiis Divinis insistunt, et pro excessibus populorum specialius omnipotens Dominus et serventius exoratur. Quoniam igitur pium et iustum est, et a Sanctis Patribus institutum, ut ad Ecclesias Dei universi Fideles in praecipuis et solemnibus diebus comperta mente et ardenti desiderio concurrere debeant, et in voto laudis et placationis suorum peccatorum indulgentiam implorare; Nos vestris piis desideriis, et iustis postulationibus inclinati, universis, qui ad Ecclesiam vestram in die translationis corporis Sancti Clementis Papae et Martyris, quod, sicut in antiquis scriptis habetur, in eadem Ecclesia requiescit, devota mente concurrerint, et ibidem vobiscum in eiusdem gloriosi Martyris veneratione vota laudis et placationis exsolverint, id ex parte omnipotentis Dei, et auctoritate Apostolorum Petri et Pauli ac nostra in suorum remissionem iniungimus peccatorum.

Datum Verularum Quinto Calendas Maii.”

Ipse namque Abbas instituit et sestum Inventionis eiusdem Martyris tertio Calendas Ianuarii recolendum, suprascripto Fratre Ioanne Berardi suggerente atque rogante. Similiter fecit de sexto Cathedrae eiusdem Gloriosi Pontificis, ut decimo Calendas Februarii celebretur. In Marchiam Firmanam quosdam Fratres ad possessiones Beati Clementis delegavit, indeque pensiones et census recepit. Ad Commarchianos Episcopos literas Apostolicas impetravit ad recuperandas possessiones iuris Beati Clementis. Textus vero epistolarum quas ab Apostolica Sede, et a regali Curia super rationibus Sancti Clementis, et rebus praedictis acquisivit, in hoc instrumentali volumine scriptae reperiuntur hoc modo:

## SENTENTIA

*In Clericos de Terra Sansonesca*

“ Alexander Episcopus servus servorum Dei, venerabilibus Fratribus Pinnensi et Valvensi Episcopis, salutem et Apostolicam benedictionem. Ex parte dilecti filii nostri Leonatis Abbatis Sancti Clementis de Piscaria nobis innotuit, quod cum in Clericos suos de Castellione interdicti sententiam pro suis excessibus promulgasset ipsi nihilominus post interdicti sententiam cantare praesumpserunt: quare ipsos cum divina officia celebrare non omiserint, excommunicationis vinculo innodavit. Quia vero Ecclesiastica sententia, quae in malefactores aliquos rationabiliter promulgatur, rata debet et firma consistere, Fraternitati vestrae per Apostolica scripta praecipiendo mandamus, quatenus si ita est, praefatos Clericos publice accensis candelis per Episcopatus vestris excommunicatos denuntiari, et sicut excommunicatos faciatis ab omnibus cautius evitari, donec ad mandatum, et obedientiam praedicti Abbatis revertantur, et ei congrue satisfaciant, et cum literis vestris Apostolico se conspectui repraesentent.

Datum Ferenti quarto nonas Aprilis.”

**SENTENTIA**

*Contra Clericos de Terra Sansonesca.*

“ Alexander Episcopus servus servorum Dei, dilecto filio Leonati Abbati Sancti Clementis de Piscaria, salutem et Apostolicam benedictionem. Nuntium et literas tuas debita mentis alacritate recepimus, et comperta sollicitudine, quam de statu nostro et Ecclesiae tanquam devotus et specialis filius habere dignosceris, affectioni tuae praesentibus literis significamus, quod nos, et Fratres nostri per Dei gratiam sani et incolumes sumus, et circa commodum et profectum universalis Ecclesiae, sicut Dominus nobis minisirare dignatur, pastoralis sollicitudine vigilamus. De cetero auditis ex ore nuntiorum tuorum gravaminibus et molestiis, quas nobiles viri Berardus Gentilis, et Fratres eius, Rogerius filius Ricardi, et fratres eius, tibi, et Monasterio tuo congrue satisfacere non postponant, sicut ex scripto, quod eis dirigimus, tibi plenius innotescit. Mandamus itaque discretioni tuae, quatenus si iamdicti viri monitis et mandatis nostris infra quindecim dies post susceptionem literarum nostrarum noluerint acquiescere, ipsos auctoritate nostra excommunicatos denunties, et facias sicut excommunicatos attentius evitari; nisi forte eos videris amplius sustinendos. Nos enim vicinis Episcopis dedimus in mandatis, ut sententiam tuam observent firmiter, et faciant inviolabiliter observari: et Clericos, qui contra interdictum tuum in terra Sansonesca scienter cantaverint, excommunicent, et faciant sicut excommunicatos vitari. Voluntatem siquidem, et servens desiderium gerimus, personam tuam sincera in Domino et speciali caritate diligere, et iura Monasterii tui tanquam nostri specialis et proprii attenta sollicitudine conservare. De visitationi autem tuae affectioni tuae gratiarum referimus actiones.

Datum Tusculani quarto nonas Octobris”

*De eadem Re.*

“ Alexander Episcopus servus servorum Dei, Venerabilibus Fratribus Marsicano, Pinnensi, et Valvensi Episcopis, et dilectis filiis, Teatinensis, et Furconensis Ecclesiarum Clericis, salutem et Apostolicam benedictionem. Varias et multiplices querelas ex parte dilecti filii nostri Leonatis Abbatis Sancti Clementis de Piscaria, adversus nobiles viros Berardum Gentilem, et fratres eius, Rogerium filium Ricardi, et fratres eius ad audientiam nostra noveris pervenisse, quod ipsi ei et Monasterio suo de terra Sansonesca debitum et consuetum censum subtrahunt, Ecclesias eiusdem terrae, et earum possessiones inter se dividere, et inde Presbyteros instituere, et destinare non formidant. Accedit ad haec, quod cum idem Abbas in eandem terram interdicti, et in quendam Simoniacum, qui Ecclesiam quandam a praefatis viris certe dicitur pretrio comparasse, excommunicationis sententiam protulisset, iidem viri iam dictum ex Communicatum fovere non desinunt, et contra interdictum Abbatis in praefata terra per Clericos Farfensis Monasterii, qui sunt Schismatici, Divina faciunt celebrari. Inde est, quod Fraternitati vestrae per Apostolica scripta praecipiendo mandamus, quatenus Clericos, qui scienter in praescripta terra contra interdictum Abbatis cantaverint, omni dilatione et contradictione posposita, excommunicatos denuntietis, et faciatis sicut excommunicatos vitari; et cum praefatus Abbas in supradictos viros pro tantis excessibus iuxta mandatum nostrum excommunicationis sententiam tulerit, eam omni occasione et appellatione remota, observetis firmiter, et faciatis inviolabiliter observari, nec eis praesentibus Divina in Ecclesiis vestris permittatis Officia celebrari, et Clericos Episcopatum vestrorum ad terram illam pro celebrandis ibi Officiis prohibeatis transire.

Datum Tusculani quarto nonas Octobris.”

*Pro quibusdam possessionibus Sancti Clementis  
in Marcia .*

“ Alexander Episcopus servus servorum Dei, venerabili Fratri Maguntino Archiepiscopo, salutem et Apostolicam benedictionem. Quanto dilectum filium nostrum Abbatem Sancti Clementis de Piscaria consideratione devotionis, quam circa nos et Ecclesiam gerit, et Monasterii, cui praeeminet, quod specialiter Beati Petri iuris existit, sinceriori caritate diligimus, tanto attentius eundem dilectioni tuae duximus commendandum, sperantes ad interventum nostrum celeriter peragendum,

quod amore iustitiae nemine componente effectui mancipari deberet. Cum igitur occasione discordiae, quae diu inter Ecclesiam et Imperium fuit, praescriptum Monasterium grave sustinuerit in Marchia detrimentum, ad recuperandas iustitias suas praefatus Abbas tuo potissimum indiget auxilio, quod tanto volumus efficacius ministrari, quanto propensius praescripto Monasterio in suis tenemur necessitatibus providere. Quo circa Fraternitati tuae per Apostolica scripta rogamus, monemus attentius et mandamus, quatenus praefatum Abbatem, vel Nuntios eius pro reverentia Beati Petri et nostra, sicut de te bene confidimus, benigne respicias, et eos, qui in Marchia Anthonitana possessiones detinent, ad iam dictum Monasterium pertinentes, ad eas restituendas districte compellas, ita quod literae nostrae optatum sortiantur effectum, et nos solitudinem tuam debeamus multipliciter commendare. Nolumus autem ad restitutionem opponi, quod tempore Schismatis possederunt, cum hostilitas praescriptionem praebetur merito impedire.

Datum Laterani quinto nonas Maii.

*Alia de eisdem rebus.*

“ Alexander Episcopus servus servorum Dei, venerabilibus Fratribus Auximanensi Apostolicae Sedis Legato; Firmano Camerinensi et Senogaliensi Episcopis, salutem et Apostolicam benedictionem. Quanto maiorem Beato Petro, et Sacrosanctae Romanae Ecclesiae reverentiam exhibere debetis, tanto Monasteria, et Ecclesias, quae ad nos nullo mediante respiciunt, habere tenemini propensius commendatas, et ab earum molestiis Parrochianos vestros districtius cohibere. Acepimus autem, quod quidam Parrochianorum vestrorum possessiones multas Sancti Clementis de Piscaria detinent; quas in stante Schismate temeritate propria invaserunt. Quoniam igitur quanto idem Monasterium specialius Beati Petri iuris existit, tanto fortius eius volumus indemnitate provideri Fraternitati vestrae per Apostolica scripta mandamus, atque praecipimus, quatenus Parrochianos vestros, qui vobis nominati fuerint, ad ea restituenda, quae de iure iniuste detinent non differatis districtius commonere. Ceterum si invasa restituere, vel post restitutionem Monasterium quisquam vexare praesumpserit, eum, dilatione et appellatione remota, et excommunicationis vinculo innodetis, et usque ad dignam satisfactionem, sicut excommunicatos, faciatis ab omnibus evitari: solcite provisuri, ut ita mandatum Apostolicum exequamini, quod Abbas pro defectu iustitiae laborare ad Sedem Apostolicam non cogatur, nec vos repulsam debeatis a nobis in vestris postulationibus sustinere.

Datum Laterani Idus Maii”.

**DE ROCCA SOTI,**

*Et censu exinde solvendo contra Gentilem  
de Raiano.*

“ Alexander Episcopus servus servorum Dei, Venerabilibus Fratribus Oderisio Valvensi Abrutino et Marsicano Pinnensi Furconensi, Episcopis et dilectis filiis Capitulo Teatino, et Abbati Sancti Vincentii, salutem et Apostolicam benedictionem. Ex transmissa conquestione dilecti filii nostri Abbatis Sancti Clementis de Piscaria, auribus nostris insonuit, quod Gentilis de Raiano censum debitum Monasterio eius solvere contradicit, et parochialia iura, quae de Rocca de Soti ipsi de ratione debentur, in suae salutis periculum tam Clericos, quam laicos reddere non permittit, nec eius Ecclesias, pro ut convenit ordinari. Quoniam igitur laici ab oppressione Monasteriorum censura sunt Ecclesiastica coercendi, discretioni vestrae per Apostolica scripta mandamus, atque praecipimus, quatenus, si quod nobis propositum est veritati innititur, praefatum Gentilem excommunicationis vinculo astringatis, et faciatis sicut excommunicatum ab omnibus evitari, quousque ablata restituat, et a praefati Monasterii molestatione desistat. Quod si nec sic resipuerit, in terra eius, quando praesens fuerit, divina prohibeatis Officia celebrari. Quod si omnes haec exequi nequiveritis, duo aut tres vestrum ea nullius obstante gratia, vel timore nihilominus exequantur.

Datum Tusculani septimo Idus Februarii.”

*Pro quibusdam Possessionibus Monasterii  
Sancti Clementis in Pinne et  
Aprutino.*

“ Alexander Episcopus servus servorum Dei, venerabilibus Fratribus Abrutino, et Pinnensi Episcopis, salutem et Apostolicam benedictionem. Significavit nobis dilectu filius noster Abbas Sancti Clementis de Piscaria, quod quidam Parrochiani vestri Roccae de Malatino, Transmundus de Rocca. Adam Rocca de Troya, et filius Atonis Theodosius occasione patronatus, quem in suis Ecclesiis asserunt se habere, bona eorum diripiunt, et Clericos depraedantur, cum nullum ius habere perhibeantur. Adiecit etiam, quod quidam eorum in Monachum quendam eorum et Presbyterum manus violentas iniicere ausu temerario praesumpserunt. Quoniam igitur damnum Ecclesiarum, et insolentiam laicorum, clausis nolumus nec debemus oculis pertransire, Fraternitati vestrae per Apostolica scripta mandamus, atque praecipimus, quatenus memoratos malefactores monere curetis, et diligenter inducere, ut ablata restituant, damna data refarciant, et de iniuriis illatis satisfaciant congruenter. Quod si monitis vestris non acquieverint, ipsos appellatione remota Ecclesiasticae severitatis gladio feriatis. Eos vero qui manus violentas in Monachum et Presbyterum iniecerunt, sicut excommunicatos faciatis tamdiu

ab omnibus evitari, quo usque praestita satisfactione absolvendi cum vestrarum testimonio literarum Apostolico se conspectui repraesentent.

Datum Tusculani septimo Idus Februarii”

*Episcopis in Marcia constitutis pro rebus  
Monasterii Sancti Clementis.*

“ALEXANDER Episcopus servus servorum Dei, Viro Venerabili Fratri Firmano Episcopo; similiter Esculano Episcopo; similiter Camerinensi Episcopo, similiter G. Subdiacono, nostro Auximanensi Procuratori; similiter dilecto filio Priori Fontis Avelianae, salutem et Apostolicam benedictionem. Quanto dilecti filii nostri Leonas Abbas, et Fratres Monasterii Sancti Clementis de Piscaria arctiori nobis et Ecclesiae Romanae sunt devotione astricti, tanto eis in iure suo cura propensiori tenemur adesse, et hoc sibi propesius conservare. Unde siquidem est, quod nos illorum iustitiae providere volentes per Apostolica tibi scripta mandamus, atque praecipimus, quatenus possessiones, quae in Parrochia tua ad praescriptum Monasterium pertinere noscuntur, quas tu aut aliqui Parrochianorum tuorum occupatas tenent, praefato Abbati et Fratribus, omni occasione et excusatione cessante, restituas, vel ita eis plenam inde iustitiam facias, quod ad nos pro iuris sui defectu querelam de cetero non cogantur perferre. Quod si earum detentores tua in hac parte commonitioni acquiescere forte noluerint, tu ipsos sententia excommunicationis percellas, et sicut excommunicatos usque ad dignam satisfactionem facias ab omnibus evitari.

Datum Verularum Octavo Calendas Aprilis.”

*Pro Causa de Castello Ripae ventilanda..*

“WILIELMUS Dei gratia Rex Siciliae, Ducatus Apuliae, et Principatus Capuae, Leonati venerabili Abbati Monasterii Sancti Clementis fideli suo, salutem et dilectionem. Literas honestatis tuae, per quas Curiae nostrae supplicando mandasti, ut liceret tibi venire Panormum ad Curiam nostram, et ibidem consistere in iudicio cum Guilielmo Morello: de his, quae proponis adversus eum, vidimus, et in eo petitionem tuam clementer admisimus. Mandamus itaque et praecipimus fidelitati tuae, ut his visis literis statim venias ad Curiam nostram; nos enim mittimus praecipiendo iam dicto Guilielmo Morello per literas nostras, ut ipse similiter veniat Panormum ad Curiam nostram, paratus respondere super his, quae tu proposueris adversus eum.

Data Panormi mense Decembri sexto Indictione quinta.”

*De Hominibus Sancti Clementis ex Castello Ripae  
Abstrahendis.*

“WILIELMUS Dei gratia Rex Siciliae Ducatus Apuliae, et Principatus Capuae, Ioselmo Comiti Loriti, Odoni de Celano Iustitiarii et fidelibus suis, salutem et dilectionem. Notum facimus vobis, quod Leonas venerabilis Abbas Monasterii Sancti Clementis de Piscaria ad Curiam nostram veniens conquestus est, quod Guillelmus Morellus contratenebat ipsi Abbati abstrahere quosdam homines Ecclesiae Sancti Clementis de quodam Castello suo, quod dicitur Ripa. Verum quia praedictus Guillelmus presens erat, constitit in iudicio in Curia nostra cum eodem Abbate et iudicio Curiae nostrae, praedictus Abbas obtinuit, ut liceat ei homines ipsos de eodem Castello abstrahere, et in terram suam perducere. Quare mandamus stulto fidelitatis vestrae, et praecipimus, ut si praedictus Guillelmus mandatum Curiae nostrae praeterire, vel aliquatenus differre voluerit, vos illud adimplere faciatis.

Data Salerni mense Iunii quinto, Indictione quinta.”

*Pro rebus Sancti Clementis in Civitate  
Sancti Angeli.*

“WILIELMUS Dei gratia Rex Siciliae, Ducatus Apuliae et Principatus Capuae, Ioselmo Comiti Loriti Iustitiario et fideli suo, salutem et dilectionem. Leonas venerabilis Abbas Sancti Clementis de Piscaria ad Curiam nostram veniens exposuit Maiestati nostrae, dicens, quod praedictum Monasterium Sancti Clementis habet quosdam homines in terra tua, in civitate videlicet Sancti Angeli, quibus Baiuli tua multa iniusta inferunt, adeo quod praefatum Monasterium redditus, et ea, quae solitum est habere, et habere debet, nullo modo potest habere; sicut ipse Abbas dicit. Unde mandamus studio fidelitatis tuae, et praecipimus, ut si verum est illud, iuste et rationabiliter emendari facias, ut praedictus Abbas super hoc ad Curiam nostram iustam querimonia ulterius non deducat. Praeterea idem Abbas conquestus est, quod Ecclesia sua debet et consuevit habere decimas de quodam tenimento terrae tuae, quas ei contratenes, sicut ipse dicit. Quare mandamus tibi et praecipimus, ut si verum esse, sicut solitum est, et hactenus habuit, eas habere permittas.

Data Salerni mense Iunii, Indictione quinta.”

**EPISTOLA**

### *Goffridi Comitis*

“ Sprituali in Christo Patri suo, fratri et amico plurimum dilecto Domno Leonati, Coenobii Sancti Clementis Venerabili Abbati, Goffridus Dei et regia gratia Comes Alesinus et Domni Regis Iustitarius, salutem et debitam in Domino reverentiam. Ex obedientiae debito et sinceritate dilectionis, quae nos Venerabili Monasterio vestro et vobis devotos coniungunt, ea, qua voluimus exultatione fratrem, a latere vestro ad nos transmissum honorifice recipientes petitionibus Monasterii vestri nobis per eum significatis alacriter et sincere paruimus, partem videlicet Piscariae in caldulis; quam in domanio nostro tenemus, petiam terrae quandam prope pontem Alesinsinam terram, quae fuit de Bibaldo ad plantandam vineam, et homines duos Monasterio vestro utiles concedentes, de quibus Fratri Petro Monacho vestro instrumentum necessarium fieri faciemus. Haec autem in praesentiarum devoto animo Monasterium vestrum augendo tribuimus, et de cetero divina largiente gratia in maiora praevidebimus, vobis vero et Fratribus vestris in beneficiis et orationibus vestris pro nobis apud Dominum sit cura et memoria nostri”

Tenementum Sancti Christiani ultra fluvium Cignum locavit Abbas, et concessit nobili viro Mallerio de Palene sub praefixo tempore, et certo servitio, secundum tenorem, qui in ipsius scripto concessionis invenitur. Sanctum quoque Sylvestrum de Oligeto, in quodam religionis viro Ioanne locavit. Quando Domnus Alexander Papa Romae Synodum celebravit, Domnus Leonas Piscariensis Abbas inter Diaconos Cardinales in eodem Concilio celebrem locum habuit. Emit profecto in ornamentum Ecclesiae Sancti Clementis sibi commissae pallea, de quibus pretiosas cappas et tunicas fieri fecit. Emit, et acquisivit optimas planetas, et Kariffi oloserica dossalia et tapetia, ex quibus parietes Ecclesiae et chori ornarentur in praecipuis festis, quae in eius memoria inter alia longo tempore poterunt recognosci. Libros quoque plurimos, inter quos praecipuum Librum Decretorum cum Summis eius a Magistris compositis scribere fecit, et eos in Bibliothecam Ecclesiae Casauriensis est devotissime contestatus. Hunc quoque Librum Instrumentorum, seu Chronicorum, quem ego Frater *Iohannes* composui et ordinavi, et Magister Rusticus manibus scripsit, ipso permittente, imo iubente ac adminiculante, perfecimus. Antiquum vero palatium Abbatum, quia vetustate consumptum suo tempore cecidit, illud renovare coepit, sed aliis negotiis supervenientibus opus ipsum fuit intermissum. Porro domum, quam in eiusdem palatii exordio construxit, in horreum Ecclesiae deputavit; Domum quoque ligneam ad receptionem adventantium construxit ante ipsius Ecclesiae vestibulum.

Inspirante igitur post haec illum superna gratia, et devotione, quam erga gloriosissimum Martyrem Clementem habebat, ipsas Ecclesiam opere mirifico renovare coepit copiosis expensis et apparatus, et magistrorum, et coementariorum agminibus aggregatis; primo frontispitium cum tribus portis aedificavit, et ibidem sculpturis apparentibus decoravit. Denique ipsam pulcherrimam porticum, quae est ante levavit, et sicut cernitur in tumbam fabricavit, et priori operi coniunxit. Cui supraedificavit Oratorium ad honorem Sancti Michaelis Archangeli, et Sanctae Crucis, Sanctique Thomae Martyris consecrandum, sed antequam opus ipsum consummare potuisset, occurrit ei finis vitae.

1176.

Quando vero fundamenta posuit, erat annus Incarnationis Domini millesimus centesimus septuagesimus sextus. Unde sic est versificatum.

*Hoc templum primo Ludovic construxit ab imo,  
Abbas quod clare Leonas cupiens renovare  
Cum voto magno Domini fundavit in anno  
Milleno seno centeno septuageno.*

1182.

Senescente iam itaque Domno Leonate Abbate, biennio ante mortem suam frequentes patiebatur infirmitates: tempore vero Veris subito gravissima et funerea pulsatus aegritudine, astantibus omnibus Fratribus et flentibus moriens, viam universae carnis intravit, anno Dominicae Incarnationis millesimo centesimo octogesimo secundo; Abbatibus autem sui vicesimo septimo, octavo Calendas Aprilis, die celeberrimo festivitatis gloriosissimae Virginis Mariae, quo salus hominum ab Angelo sibi fuit annuntiata. Quo etiam die in ipso anno feriae quinta Coena Domini celebrabatur. Quam vero diem ipse clarissimus Abbas reverentius atque devotius in suscipiendis pauperibus, et ceteris ipsius diei Mysteriis, prae omnibus diebus anni quandiu praefuit Ecclesiae celebrare consuevit. Sepultus namque est in Christo iuxta parietem Ecclesiae in tumulo sibi praeparato, ut ibidem a fratribus, quos educavit, reverenti oculo videri possit indefinenter.

### **EPISTOLA ROBERTI COMITIS**

*Capitulo Santi Clementis post mortem  
Domni Abbatibus.*

“ Robertus Dei et Regis gratia Comes Casertae et Magister Iustitarius totius Apuliae, et Terrae-Laboris, Capitulo Sancti Clementis de Piscaria amicis suis, salutem et amorem. Nos audivimus et pro certo sci mus, quod Ecclesia vestra in manibus Domni nostri Gloriosissimi Regis est. Quare manda mus vobis, et ex parte Regia praecipimus, ut si quid evenerit in Ecclesia vestra, quod iustitiae pertineat, scire faciatis Domno Comiti Tancredo, aut nobis; et vos non constringatis, nisi per nos de hoc, quod iustitiae pertinet.”

## CARMEN AUCTORIS

*Santo Clementi.*

*Clemens ob lumen scriptum tibi tolle volumen  
Hac ut scriptura tua sint in lumine iura:  
Scriptis noscantur, quae sunt tua iura legantur.  
Sit liber gratus, quem servulus est operatus.  
Cui tu sis clemens proprio de nomine Clemens:  
Perpetuis annis Fratris memor esto Iohannis.*